GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 133, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

[Gl, 13.] ~~C 306 / 12~~

Leibn. Marg. 133

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 133, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

de Musivo excerpendum ex cap. 7 à verb. ubi de quod ejusmodi pictura ... ad usq. in arcu fastigio

Multa in hoc libro pertinentia ad historiam Caroli M. et Ludovici III. qui eo tempore Basilicam et triclinium in lateranо struxit pinxit et Caroli M. imaginibus ornavit

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 133, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

DE LATERANENSIBVS PARIETINIS

Ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domino

D. FRANCISCO CARD. BARBERINO

RESTITVTIS

DISSERTATIO HISTORICA

NICOLAI ALEMANNI.

Martini Fogelii Hamburgenſ.

ROMAE,

Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. Anno Iubilei M. DC. XXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

β τις.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 133, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 133, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

S. D. N

VRBANO. VIII. PONT. MAX

VETVS. AC. CELEBRE

PONTIFICIÆ. AVTORITATIS

MONVMENTVM

IACENS. OLIM. IN. TENEBRIS

IAM. IAMQ. PERITVRVM

AB. ILLVSTRISS. FRANCISCO. S. R. E. DIAC. CARD

BARBERINO

ECCLESIASTICÆ. ANTIQVITATIS. INSTAVRATORE

REPARATVM. IN. PVBLICOQ. PROPOSITVM

NICOLAVS. ALEMANNVS

RECENSENS

D. D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 133, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

AVTOR LECTORI.

PLERIQVE, Lector, qui non ita multis ante diebus in Laterano viderunt tenues ædificiorum reliquias substructionibus stabiliri, & vacillans, ac penè ruinosum instaurari emblema vermiculatum, inelegans illud quidem, & imperitæ manus non tam opus, quàm rudimentum, meritò dubitare visi sunt sibi, an id esset operæ pretium. Ex ijs profectò arbitror eos fuisse, qui vel nulla tangantur rerum antiquarum voluptate, vel rudioribus ineptæ artis lineamentis nihil pulchrum, dignumve contineri posse existiment. Hi videlicet & Alcibiadis planè admirabiles Silenos parui æstimaturi sunt, quando prima illorum visa vtcunque specie, penitus inspicere eos negligant. Eruditi sanè oculi sint ijs oportet, qui priscas eiuscemodi tabulas intuentur. Noui equidem cùm ex nostris, tùm exteris viros grauissimos, qui musiui ruditatem illam contemplati sint oculis minimè incuriosis, quodque in ea latet eximium, ac singulare de asserta Carolo Magno Imperij maiestate non obseruarint modò, sed etiam optarint, vt ære publico monumentum repararetur; cui vel tempus ipsum, post octingentos eoque amplius annos, propter dignitatem pepercisset. Interim sua illi priuata industria in publicum bonum conferri à se aliquid posse rati; opus, quod tanti fieri oportere putarent, aut coloribus sibi descripserunt, aut litteris posteritati commendarunt. Quid nostros hic ego dicam Angelum Massarellum Theleſinum Antistitem, Onuphrium Panuinium, Pompeium Vgonium, &, qui Romæ diu versati sunt ex Hispania, Franciscum Penniam, Alphonsum Ciacconum, & alios?

& alios ? Cum e Gallijs, vel è Germania eruditus vir nullus Romam profectus sit, qui huiusce musiui spectaculum præterierit. Duos commemoro omnis antiquitatis curiosissimos iuxta atque scientissimos Marcum Velserum Duumuirum Augustanum, cuius in Dissertatione testimonium extabit, & Nicolaum Fabritium Peiresium, cuius, vt audio, studium de hac imagine, deque alijs Caroli Magni non ita peruulgatis memorijs lucubrationes etiamsi anteuenimus, cedimus tamen curis melioribus. Ego certè de Carolo Magno, etsi non ieiunè, neque exiliter agam, ea tamen disputabo, quæ tabulæ fides, argumentum, ratioque tantùm postulabit. Summa verò Dissertationis hæc erit, vt de ædificio, vbi publicum id opus extat, pauca, & pro re nata; tum de musiui emblemate, atque eius historia pluscula disseram; postremò inscriptos imaginibus titulos accuratiùs expendam, è quibus de Caroli Magni Patricia dignitate multa elici, multa de Imperij translati prima origine cognosci poterunt; quæ ad Clarorum Virorum iam diu euulgatos ea de re commentarios, vel confirmandos, vel illustrandos quantum faciant, facilè quiuis intelliget. Sed præstat, Lector, antequam ad legendum appellas animum, vt eum imbuas ipso rei, de qua agimus simulachro, quod ex archetypo tribus hisce tabellis expressum habes.

DIS-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

DISSERTATIONIS
SVMMA CAPITA.

I. DE Lateranenſibus Parietinis aliorum opiniones. pag. 1

II. An Carolus Magnus huius fuerit autor ædificij. 6

III. Ædificij huius autor Leo III. Pontifex. 12

IV. Ædificij huius nomina, & vſus. 17

V. Alterum eiuſdem ædificij nomen, alijque vſus. 25

VI. Duorum Leonis III. Tricliniorum Lateranenſium diſtinctio. 32

VII. Muſiuum Triclinij à Leone III. fuiſſe paratum. 36

VIII. Cameræ muſiuum quid præſeferat. 45

IX. Dexteræ partis Apſidis muſiuum quid repræſentet. 55

X. Siniſtræ partis muſiuum quid denotet. 69

XI. Inſcriptio Caroli imaginis explicatur. 89

XII. Inſcriptio Leonis imaginis exponitur. 106

XIII. Quæ dicta ſunt quinque habere difficultates videntur. 117

XIV. An ius, & autoritatem Imperij transferendi hæc tabula contineat. 135

XV. An huius tabulæ inſcriptiones translati Imperij cauſas indicent. 160

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.


Imprimatur.

Fr. Vincentius Martinellus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulfii, Ord. Præd. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

ICHNOGRAPHIA TRICLINII LEONIANI.

I



Ædium prospectus

Pedum modulus

10 20 30 40

A. Tribunal, siue Apsis Triclinij primaria, quæ vna integra superest, vt in sequenti tabula proponitur.


B. Apsis dextera solo æquata.

C. Apsis sinistra cuius parietinas exhibet secunda tabula.

D. Cubitorium, vbi Pontifici conuiuanti sternebatur.

E. Ianua Triclinij, qua patebat aditus in sacellum Sancti Laurentij, hodie Sancta sanctorum.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

ORTHOGRAPHIA APSIDIS PRIMARIAE ET SINISTRAE. II





A. Vestigia antiqui tecti displuuiati.

B. Mustuum Cameræ tactum olim flammis incendiorum Lateranensium.

C. Imaginum vultus uariè temporum iniuria deformati.

D. Hiatus emblematis ante annos septuaginta omnino collapsi.


E. Hiatus tabellæ inscriptæ.

F. Apsidis sinistræ loculamentum semirutum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

TRICLINII LEONIANI APSIS PRIMARIA RESTITVTA.



A. Vultus imaginum suppleti ex alijs eorundem temporum.

B. Historia renouata ad exemplum ab Antiquarijs olim exceptum cum deflueret.

C. Tabula nullis notata litteris exceptorum incuria.


D. Nomen Pontificis desideratur.

E. Inscriptas tabellæ acclamationes seruauit Angelus Massarellus.

F. Ædificij descriptio verbis Anastasij Bibliothecarij.

G. Instaurati operis monumentum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

DE LATERANENSIBVS PARIETINIS RESTITVTIS Hiſtorica DISSERTATIO.

DE LATERANENSIBVS PARIETINIS aliorum opiniones. Cap. 1.

LATERANVM, antiqua Pontificum Romanorum ſedes, eccleſiaſticis quondam fuit monumentis illuſtre, quæ paulatim vel temporum iniuria collapſa ſunt, vel nouis ceſſerunt ædificijs. Vnum ex illis, aut alterum hodie ſupereſſe videmus Baſilicam Lateranenſem, Conſtantinianum Baptiſterium, & ſancti Laurentij Sacellum, quod olim celebre fuit, ac etiam num ſanctiſſimum habetur. Extant, præter hæc, parietinæ, ac rudera magnarum ædium, quæ, cum longius aream excedant, qua Sixtus V. Pontifex Maximus ſuas ædificationes in Laterano ſolo circumſcribi voluit, demolitionem quidem facile euaſerunt; cum verò nomen earum, nedum vſus, at-

Laterani hodierna facies.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [19] - 1
PUBLIC DOMAIN

que præſtantia paſsim apud omnes obſoleuerit, ad hanc fermè diem neglectæ ſunt, penituſq. incultæ iacuerunt. Minime id quidem tulit Illuſtriſsimus FRANCISCVS Cardinalis BARBERINVS, qui cum in ijs ruderibus ſepultas quodammodo videret inſignium rerum memorias, Imperij Romani in Orientem tranſlati, indeque in Occidentem reducti, publicæque pacis Vrbi, ac vniuerſæ Italiæ reſtitutæ; vt primum cum dignitate fuit, hoc ſui reparandæ antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudij opus eſſe primum voluit, atque præcipuum. Quamquàm ædificiorum molem iam ferè omninò proſtratam non ex integro totam excitandam exiſtimauit, ne vetuſtatis maieſtas nouitate minueretur, vel tantis derogaretur monumentis fides & auctoritas, vel priuatæ potius, vt fit, memoriæ poſteris commendandæ, quàm reſtituendæ antiquitatis id ſtudium videretur. Quamobrem ædificij partem, qua ea rerum præclararum hiſtoria continetur, ab interitu vindicare ſatius eſſe duxit. Itaque de ſuo quid addiderit, in altero conſignari lapide iuſsit, in altero ædificatoris, loci, vſuſque eius notitiam ex hiſtoriarum memorijs petitam incidi, vtrumque demum veritatis, ac fidei documentum omnibus extare. Neque illa ſacræ antiquitatis cura duntaxat, quæ viros Eccleſiaſticos apprimè decet, ad hanc eum reſtaurationem ædium induxit; ſed etiam

Reſtauratoris ſtudium.

Conſiliũ.

Fides.

Leonis

Leonis IV. sanctissimi Pontificis auctoritas, qui plenam dignitatis domum, rerumque illustrium, sartam tectam posteritati primus [a] conseruauit. De ea tamen non vna omnium fuit antiquariorum opinio; à Carolo Magno Rege Francorum exædificitam alij crediderunt, alij à Leone III. Pont. Max. Hi tamen ab alijs eiusdem Leonis ædificijs, hoc non satis commodè distinguunt; ac denique in eius vsu declarando non æquè omnes conueniunt. De qua tota controuersia constabit, vbi de ædificijs à Leone Tertio Pontifice extructis, vel restauratis constiterit, quæ, ex Anastasio Bibliothecario hic recensemus. Leo III. singulis Basilicæ Lateranensis porticibus, & Constantini Baptisterio tecta induxit noua, atque magnifica. In Vaticana etiam sancti Petri Basilica, præter contignationem, turrim etiam, graduſque tum primi aditus, atque vestibuli, tum partis templi dexteræ, ad pristinum decorem reuocauit. Locum inter sacra sacerdotibus destinatum, quod Presbyterium appellamus, conditum ex marmore, cælato etiam opere exornauit. Restituit Ecclesiam sancti Pauli via Ostiensi, quæ terræ inusitato motu corruerat. Basilicæ Lieranæ, quæ est *ad Præsepe*, tectum laqueauit. In altero sancti Andreæ templo Aram maiorem, in altero *Cata-Barbaræ*, hoc est prope Barbaræ nobilissimæ feminæ domum, in Exquilijs, tholum, & laquea-

[a] *Anast. in Leon. IV.* Aliorum opiniones.

Aedificia à Leone III. restaurata.

ria renouauit. *Macronam* Patriarchij Lateranenſis iam iam ruituram, ſubſtructionibus ſtabiliuit, tectoque impoſito, parietes marmoribus conueſtiuit, illuſtrauitque opere teſſellato. Tecta, porticus, ornamenta refecit Eccleſiarum ſanctæ Anaſtaſiæ, ſanctæ Sabinæ, ſanctorum Felicis & Adaucti, aliarumque complurium, quas Bibliothecarius quidem numerat, quòd ego vero ſingillatim referam, nihil eſt; cum ædificium, de quo hic agimus, non reconcinnatum, ſed integrè à Leone perfectum fuiſſe mox probaturus ſim. Cumque in Laterano id eſſe videamus, alias decimoquarto lapide, via Appia, Albæ, Oſtiæ, Præneſte, Rauennæ ab eodem factas Eccleſiarum reſtaurationes licet præterire.

Aedes cõſtructæ in Laterano.

Ergo in Laterano iuxta Templum Conſtantini Leo III. Triclinium ædificauit, & vndecim hinc inde concamerauit tribunalibus, quorum primarium opere vermiculato, reliqua coloribus variauit, inſtrauit marmoribus pauimentum, cœnationes fecit, labrum in impluuio porphyreticum collocauit. Præterea ante Baſilicam Lateranenſem ad Septentriones Triclinium alterum poſuit tribus duntaxat tribunalibus diſtinctum, ſed opere, ornamentis, diuitijs, totaque fabrica priore illo longe ſplendidius; nam aula perampla, marmorum incruſtationibus, porphyreticis parijſque columnis locupletata, ita ſuperiorum Pontificum Triclinia in

Late-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [22] - 4
PUBLIC DOMAIN

Lateranensi Patriarchio fabricata superauit, vt *Magni* nomen exinde tulerit. In ijsdem Pontificum ædibus oratorium erexit, quod emblemate, & pictura decorauit, ac vasis ex argento, & auro, pretiosaque suppellectile auxit. Non piget alia Leonis ædificia recensere, quæ licet in campo Laterano ab illo posita non sint, ad ea tamen explicanda, & quæ dicturi sumus comprobanda, plurimum conferunt. Ad sancti Petri in Vaticano Triclinium fecit Lateranensi illi persimile. Eiusdemque Basilicæ parte dextera Xenodochium cum cœnatione, & balneis condidit, peregrinorum, qui eò aduentarent, publicæ commoditati. Balneas alias ibidem exstruxit iuxta *Columnam maiorem*. In ora Vaticani collis extrema, vbi Naumachia fuit, ad portam suburbanam, quam *Angelicam* nuncupamus, præter amplissimum Nosocomium, sancti Petri titulo dedicauit Ecclesiam. Cœnobium, & Basilicam sancti Stephani primi martyris locauit in Gallæ Patriciæ solo, vnde ea structura *Cata-Gallæ* nomen accepit. Templum sanctæ Susannæ ad Thermas Diocletianas, quod maiores *inter duas domos* dixere, vetustate labefactatum omnino demolitus est, iactisque rursus amplioribus fundamentis, nouum, atque magnificentius excitauit. Denique sanctorum Nerei, & Achillei ædem, veteri deiecta, sublimiore loco collocauit, ne humiliore, in quo

In Vatica no & alibi.

antea

antea subsidebat, vicinarum obrueretur aquarum colluuie. In hoc Leonis ædificiorum indiculo licet illud ipsum, de quo quærimus, habeatur, operæ pretium tamen est, id apertius, certisque rationibus indicare. Imo verò cum à nonnullis hæc ipsa domus Carolo Magno conditori adscribatur, istorum primùm videre rationes, & quantum quæque valeat, erit operæ haud inanis.

AN CAROLVS MAGNVS HVIVS fuerit autor ædificij. Cap. II.

Caroli M. sacra ædificia.

OBSCVRA minime sunt, quamquam enumerari facile non possunt, ecclesiastica monumenta, quæ vbique terrarum exædificauit Carolus Imperator Pipini Regis filius. Hanc eius in Deum, ac Sacerdotes pietatem, vel vnica illa testatur Basilica, quam Aquisgrani Deiparæ Virgini, *opere*, vt [a] Eginhartus ait, *mirabili* constructit; ad quam exornandam non illi satis fuerunt suæ ditionis prouinciarum diuitiæ, sed ex longinquis terrarum orbis partibus ornamenta conquisiuit; columnas, marmora, coloratasque tessellas magnis sumptibus, atque labore Roma, Rauennaque, [b] Adriani Pontificis permissu, conuexit. In Italia cum alibi, tum Bononiæ, atque Florentiæ sacrorum eius ædificiorum sup-

[a] *Egin. in vit. Car.*

[b] *Adrian. ep. 12.*

petunt

petunt memoriæ. Romæ nulla veſtigia vidimus, vel à quoquam prodita fuiſſe legimus. Semel, iterum, ac tertiò votorum ſoluendorum, ac ſupplicandi gratia Romam ille profectus eſt, & è veſtigio inde receſsit; quartò cum Leoni vindicandæ dignitatis cauſa veniſſet, in Vrbe totam exegit hiemem, quo eum tempore nihil ædificij molitum fuiſſe conſtat. Si quid verò cogitaſſet, non Laterani, non Oſtienſi via ([a] nam de Cœnobio inibi conſtruendo, non Carolus, ſed Adrianus Pontifex ea mente fuerat) non in agro Verano, vel Seſſoriano, vbi Conſtantinus, & alij retro Principes, ſed in Vaticano ſuas Carolum ædificationes collocaturum fuiſſe res ipſa docet, ac Principis ingenium. *Nam colebat præ cæteris ſacris, & venerabilibus locis apud Romam*, inquit [b] Eginhartus, *Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, in cuius donaria magna vis pecuniæ tam auri, quàm argenti, nec non & gemmarum ab illo congeſta eſt: multa & innumera Pontificibus munera miſſa: nec ille toto regni ſui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma ſua opera, ſuoque labore veteri polleret auctoritate; & Eccleſia ſancti Petri non ſolum per illum tuta, ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus, præ omnibus Eccleſijs, eſſet ornata, ac ditata*. Opes quidem ingentes haud dubie Romam miſit, ac detulit, ex quibus paucarum, ſed auguſtiorum memoria ſupereſt in hiſtorijs; [c] tabulæ ſcilicet ex argento, præcipuæ magnitudinis, ac ponderis, quæ *deſcriptionem vrbis Conſtanti-*

An eius aliquod Romæ.

[a] *apud Alcuin. epiſt. 83.*

[b] *Egin. ibid.*

[c] *Carol. in Teſtam.*

ſtantinopolitanæ continebat, eam ex teſtamento Baſilicæ Vaticanæ legauit; & [a] Crucis ex auro puriſsimo gemmis ornatæ, quam in Lateranenſi Eccleſia Leoni III. Pontifici obtulit, ac in ſolemnibus litaniarum pompis Summis tantummodo Pontificibus præferri voluit. Infinita huiuſmodi donaria Romæ Carolum reliquiſſe ſcimus, ædificium verò, ne vnum quidem. Quamobrem iure quis [b] Angelum Maſſarellum Theleſinum Epiſcopum, & [c] Alphonſum Ciacconum viros alioqui ſtudioſos eccleſiaſticæ antiquitatis miretur, qui ædes haſce, de quibus diſputamus, Caroli Magni Aulam crediderunt, eamque aliorum quoque ſententiam eſſe Ciacconus affirmauit. Quibus autem rationibus in illam ſententiam venerint, ego certè non video, niſi quòd in ædium apſide Caroli effigies coloratis lapillis depicta ſit, nomenque in inſcriptione legatur. At ibidem Leonis quoque Pontificis nomen vultuſque conſpicitur; vter ergo alterum depinxerit, ædificiumque poſuerit, æque dubium eſt, ſi hanc rationem ſequamur. Imo ſi vel hanc ſequamur rationem, nullo negotio conditori ædificium certò vindicabimus. Inſcriptio enim, quæ niſi curioſis oculis perſpici pridem nequibat, vtpote quæ ſublimi, vicinaque contignatione collapſa, ab ima ruinarum congerie, non apta diſtantia ad hanc diem legebatur, ita ſe habet.

[a] *Anaſt. in Leon. III.*

[b] *in Aduerſ.*

[c] *in Leon. III.*

An hæc aula Caroli Magni.

SAN-

SANCTISSIMVS
D. N. LEO. PP
D. N. CARVLO. REGI

Quis ergo cui fecerit, videt nimirum qui legit. Accedit eò, quòd ecclesiasticæ rei antiquariæ periti norunt consuesse Romanos Pontifices quando Basilicarum ædificationes, aut refectiones curarent, cum suis, æqualium etiam Imperatorum, Regumque imagines in tribunalibus Ecclesiarum vnà collocare. Leonis IV. succurrit exemplum apud [a] Anastasium Bibliothecarium; *Petri quoque, Paulique pariter vultus, atque Andreæ in prænominatis tabulis similiter splendent, atque coruscant; inter quos sanctissimi Quarti Leonis Præsulis, nec non & specialis filij sui Domni Imperatoris Lotharij, propter futuram memoriam, siue mercedem, personæ Deo caræ per cuncta sæcula venerandæ, depictæ sunt.* Idem plane hoc in ædificio Leonem III. fecisse nemo non videt; idemque ab illo sæpe factitatum probare possemus, si eiusdem monumenta, vel pars aliqua suppeteret eorum, quæ paulo ante numerauimus. Quippe, annos ab hinc fermè triginta, in Ecclesia sanctæ Susannæ ad Thermas Diocletianas vidimus in emblemate vermiculato hasce Leonis, Carolique imagines, Lateranensibus illis, vultu, habitu, coloribus plane simillimas.

Pontificũ, & Principum imagines.

[a] *in Leone III.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [27] - 9
PUBLIC DOMAIN



Cæterum quis neſciat à Leone III. Pontifice, non à Carolo Magno, ſanctæ Suſannæ templum in hanc, quam hodie videmus, ædificij amplitudinem redactum fuiſſe, ac tum etiam opere teſſellato diſtinctum?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [28] - 10
PUBLIC DOMAIN

ctum? *Ipse verò præcipuus Pontifex*, inquit[a] Anastasius, *in titulo sanctæ Susannæ, vbi & Presbyter ordinatus fuerat, dum breuiter destructus fuisset, & iam per longitana tempora, ipsæ parietinæ marcuissent, ob nimium amorem, ampliauit ædificium, & nouiter in altum fodiens firmissimum posuit fundamentum, & eruta planitie mirificè excelsa super ipsa fundamenta ædificauit Ecclesiam cum apsida amplissima, & cacumina mirifica de musiuo, atque cameram decoratam, seu presbyterium & pauimentum marmoribus pulchris ornauit. Verum etiam dextra, læuaque & porticus eius cum columnis marmoreis construxit. Cacumina*, inquit Anastasius, *mirifica de musiuo*; nam imagines singulæ (nouem eæ omnes erant) singulis in collibus eminebant, vt in hac tabella duas illas, quæ ad rem faciunt, repræsentaui. Denique inscriptio quæ in eadem Ecclesia legebatur, Leonem III. profert autorem.

[a] in Leon. III.

DVDVM. HÆC. BEATÆ. SVSANNÆ. MART. AVLA
COANGVSTO. ET. TETRO. EXISTENS. LOCO. MARCVERAT
QVAM. DOMINVS. LEO. PP. III. A. FVNDAMENTIS. ERIGENS
ET. CONDENS. CORPVS. BEATÆ. FELICITATIS. MART
COMPTE. ÆDIFICANS. ORNAVIT. ATQ. DEDICAVIT

In ea, quam hic proposuimus, tabula Leo Pontifex ob Caroli Regis in se merita, mutuamque beneuolentiam, effigiem eius exprimendam curasse videtur; in Lateranensi autem ædificio causam quamobrem id fecerit, quæ longe grauior est, sta-

tim exponemus, vbi prius eaſdem illas ædes Leonem III. paraſſe probauerimus.

ÆDIFICII HVIVS AVTOR LEO III. Pontifex. Cap. III.

[a] *in Leon. III.* Leoniani Triclinij deſcriptio.

QVOD hiſce verbis teſtatur [a] Anaſtaſius Bibliothecarius. *Fecit Leo in Patriarchio Lateranenſi Triclinium maius ſuper omnia triclinia, nominis ſui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmiſsima, & in circuitu laminis marmoreis ornauit, atque marmoribus in exemplis ſtrauit. Et diuerſis columnis tam porphyreticis, quamque albis, & ſculptis cum vaſis, & liljs ſimul poſitis decorauit. Cameram cum apſida de muſiuo, & alias duas apſidas, diuerſas hiſtorias pingens, marmorum incruſtatione pariter in circuitu decorauit.* Quam deſcriptionem, ſi cum ſingulis, quæ quidem ſuperſunt, ædificij huius partibus commiſeris, nullus relinquetur de autore dubitandi locus. Ex *tribus* etenim illis *apſidibus*, primariam teſſera verſicolore etiam num nitere videmus; alterius, ad læuam, integrum apparet loculamentum; tertiæ, dextrorſum, non niſi veſtigia. *Picturas* ex coloribus qui vltimus ibidem contemplatus fuit, [b] Onuphrius eſt Panuinius. *Muſiuo* autem *decoratur & Camera*, vt Anaſtaſius ait, hoc eſt, pars tribunalis interior teſtudinata; & *Apſis*, exterior illa videlicet, quæ ad vtroſque hinc inde parie-


Deſcriptionis & parietinarum comparatio.

[b] *De ſept. Eccleſ.*


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [30] - 12
PUBLIC DOMAIN

parietes pertingit æqua,& plana. *Fundamenta* illa *firmissima* Pœnitentiarij Lateranenses olerum seminarijs, hortoque penitus obruerunt; ea porro iacta olim sub publicæ viæ solum: vt inferior pars ædium ostendit, cuius columnæ ruinarum ruderibus consepultæ, cubitis vix hodie duobus extant è pauimento. Columnæ Pariæ sunt, quas Anastasius *albas* appellauit, *porphyreticæ* illæ, & *marmora* nunc desiderantur, quæ more suo *in exemplis* dixit, hoc est *exemplata*, diuersarum scilicet rerum imaginibus cælato opere distincta. Ait denique *nominis sui magnitudine decoratam;* Quòd Leonis vocabulum iam tum ædificium tulerit, quòdque ibidem loco conspicuo, vt etiam num cernitur, in apsidis culmine Leonis nomen fuerit inscriptum. Namque præter consuetudinem non est veterum Pontificum, ædificijs à se excitatis titulos indere, cum hodieque legamus monogrammata Adriani Primi.


Pontificũ nomina in ædificijs.



in Viminali ad sanctæ Pudentianæ. Paschalis Primi



trans Tyberim in Eccle sia sanctæ Cæciliæ, & in æde sanctæ Praxedis in Exquilijs. Nicolai Primi



ad Amphitheatrum Vespasiani in Ba silica sancti Clementis. Quin etiam in Christi Domini monogrammate à Pontificibus sua non-

nunquam

nunquam inſerta ſunt nomina, vt in Baſilicæ Liberianæ arcu maiore à Xyſto III. reſtaurato, atque his litteris inſignito, quæ identidem *Chriſti*, & *Xyſti Papæ* nomen referunt. Id Leo III. imitatus in faſtigio tribunalis hanc coronidem, *Chriſti* ſcilicet, & *Leonis Papæ* nomen impoſuit. Quo quidem ſignificare pijſſimi Pontifices voluerunt eas ſtructuras à ſe quidem, ſed Chriſti cum primis ope, ac ad eius nominis gloriam, factas fuiſſe; quod idem cruce nomini ſic appoſita denotatum eſt in Eccleſia ſanctorum Nerei, & Achillei ab eodem Leone III. quem fuiſſe perperam opinatur; Nam Anaſtaſius in Leone III. *Hic à Deo inſpiratus venerabilis, & præclarus Pontifex*, inquit, *conſpiciens Eccleſiam beatorum Martyrum Nerei, & Achillei præ nimia iam vetuſtate deficere, atque aquarum inundantia repleri, iuxta eandem Eccleſiam nouiter à fundamentis, in loco ſuperiore, Eccleſiam conſtruxit miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam*. Illius Templi conditor, tametſi Eccleſiaſticæ patrem hiſtoriæ Cæſarem Baronium, eius Tituli Cardinalem non latuit, vt lapis ab eodem poſitus indicat; latuiſſe tamen videtur, hanc, quæ modo ſupereſt, non eam eſſe ſanctorum Nerei, & Achillei Baſilicam, in qua Gregorius Magnus, vt

[a] *in Leon. III.*

in eo-

in eodem inscribitur lapide, homiliam habuerit; cum illud templum, Anastasio teste, liquidò pateat humiliore situm loco fuisse, cuius, post Leonis III. restaurationem, ne vestigia quidem appareant. Hæc de Pontificum titulis dum scribo, in æde sanctorum Quatuor Coronatorum, haud longe à Laterano, sacræ Martyrum effodiuntur memoriæ, & Leonis IV. olim restauratoris hæc inscriptio: ✻ EGO. LEO. FECI. ✻ pietate, qua fecerit, geminato christianæ salutis signo declarauit. At si quis in loculo illo plumbeo litterarum simplicitatem contempletur, apices nimirum nulla extantes aut incisos arte, nulla artificum industria fusos, aut cælatos; sed inelegantes, rudes, rudique stilo exaratos, videbit plane in ijs sanctissimi Pontificis non tam vacillantem senio manum, quàm demissum modestia animum, nullam in titulo gloriam captantem, sed facti tantummodo fidem posteris, memoriamque commendantem. Quam antiquam, vereque christianam probitatem exprimit eò digniore imitatione Illustrissimus Ioannes Garsia Cardinalis Millinus, quò in restaurandis eorumdem Martyrum monumentis eius ostenditur profusior largitas, atque sine glorioſa ostentatione munificentia. Cæterum illud Lateranense ædificium, ex quo huc deflexeimus, à Leone III. fuisse constructum, non solum Anastasij assueratione, compa-

ratione

ratione ſtructuræ, eiuſque partium, ac denique tituli, nominiſque inſcriptione demonſtratur; verum etiam Leonis IV. teſtimonio, qui Præceſſoris ſui adeo fuit nomini, geſtiſque ab eo rebus addictus, vt ſingulas illius ædificationes, quæ vitium feciſſent, vel aliqua eſſent ex parte labefactatæ, ſumma diligentia reconcinnauerit. Verum de alijs diſſerere nihil intereſt, de huius modo ædificij reparatione Anaſtaſius Bibliothecarius: *Accubitum, quod Dominus Leo bonæ memoriæ Tertius Papa à fundamentis conſtruxerat, & omnia ornamenta quæ ibi parauerat, præ nimia vetuſtate, & obliuione anteceſſorum Pontificum delata erant,* &c. *iſdem beatiſsimus & ſummus Præſul Leo IV. cum gaudio, & nimia delectatione omnia ornamenta, ſiue alimenta, quæ inde deleta fuerant, nouiter reparauit, & ad vſum priſtinum magnificè reuocauit.* Denique illa Caroli Regis Francorum imago, quæ hoc in ædificio viſitur, comprobare id luculentiſsime videtur. Quippe cum ex inſcripto titulo Leoni cuipiam conditori domus, tribuenda ſit, eamque Primo, vel Secundo Leoni nequeamus adſcribere, quòd illorum Carolique ætas id minime ferat; neque rurſus, ædificium, quod à Leone IV. conſtat eſſe redintegratum, Leoni V. alijſque deinceps tanquam autoribus tribui poſsit; reliquum eſt, vt à Leone III. factum minime dubitemus. Is verò, quod & hiſtoria docet, & emblema illud præ ſe fert, ope Caroli Ma-

Triclinij Leon. III. à Leone V. reparatum.

li Magni in suæ dignitatis gradum restitutus, mutuam Carolo gratiam retulit, Romanum Imperium.

ÆDIFICII HVIVS NOMINA, ET VSVS.
Cap. IV.

QVAMOBREM ab ædificatore, locique amplitudine apud nonnullos hæc domus *Aulæ Leonianæ* nomen inuenit. Verum Anastasius Bibliothecarius modo *Triclinium*, modo *Accubitum*, vt vidimus, appellauit. In antiquis autem Bibliothecæ Vaticanæ libris Ritualibus, ante annos fermè sexcentos, à Benedicto Politico, deinde à Cencio Camerario *Basilica Leoniana* nuncupata est. Non deerit ob id fortasse qui credat, ea nominum varietate, non vnum idemque ædificium, sed plane diuersa notari, præsertim cùm hoc, non tam Triclinium fuisse, quàm ædem sacris peragendis constitutam, Nomen, Apsides, sacræq. eius Imagines probare videantur. Verùm hæc quominus aptè Triclinio quadrent, nihil omnino prohibet. Non quidem *Basilicæ* vox; cum Basilicam, teste Seruio, Cœnationem dici notum sit; Cœnatio vero est Triclinium; quod etiamsi [a] Seruius falso neget, asserunt tamen Fabius Quintilianus, Valerius Maximus, Suetonius Tranquillus, [c] & Mar-

Triclinium Basilica dicitur.

[a] *ad lib. 1 Aen.*

[c] *lib. 6. cap. 5.*

cus Vitruuius cum de Triclinij conformatione agit, quæ à Baſilica ferè non diſtat, quippe cum in his [a] *quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debeat.* Accedit, quòd apud Chriſtianos quæcunque paulò maior, honeſtiorque domus dici Baſilica conſueuit. In ſyluanis etiam Monachorum caſis, atque Cœnobiorum ædificatiunculis, ſi qua reliquis eſſet amplior ianua, eam βασιλικὴν, *Baſilicam*, ſiue *Regiam*, cum ab alijs, tum à [b] Sophronio vocatam inuenies. Neque prohibent *Apſides*; quò etenim capaciora parabantur Triclinia, eò magis abundabant Tribunalibus. Sane imperiale fuit illud Byzantij, quod per quandam excellentiam *Tribunal* dictum eſt; in eo *nouemdecim Accubita*, hoc eſt, *Apſides* fuiſſe, ſanctus Nicephorus [c] Conſtantinopolitanus Patriarcha teſtatur, vnde τὴν δέκα ἐννέα ἀκκουβίτων nomen accepit; cœnas ibi publicas (quas demum Iuſtinianus, vt eſt apud Theophanem, ſuſtulit) Senatui, Populoque Cæſares dabant. Hormiſdæ Auguſtalis domùs Triclinium, vbi Seueriani, & Catholici Præſules diſputaturi, ſub Iuſtiniano, conuenerunt, ab apſidum numero ἑπτάκογχον *ſepticonchum* vocauit Innocentius [e] Maronianus. Quod enim in morem Concharum curuatum, ſinuatumque eſſet, *Concham* dixere veteres Græci, & Latini; quare [f] Paulinus Nolanus Antiſtes: *Totum verò*, inquit, *extra Concham Baſilicæ ſpatium alto, & lacunato culmine geminis vtrinque porticibus dilatatur.*

[a] *Vitr. ib.*

[b] *in Vit. M. Aegyp.*

Triclinio-rum Apſides.

[c] *in hiſtor.*

[d] *in Chro.*

[e] *in Epiſt. ad Them.*

[f] *in ep. ad Sen. 12.*

Omnia

Omnia denique priscorum Pontificum Triclinia conchata, certisque partibus concamerata, & loculamentis distincta fuisse Anastasius perhibet. Neque *Imagines* denique prohibent; nam quod de ijs obijcitur, minus offendere animum debet, cum nostrorum ea modestia fuerit, & probitas maiorum, vt singulis in locis extare monumenta vellent, quibus pietas excitaretur; & in Triclinijs non magis ore alimenta vitæ, quàm auribus, oculisque pietatem hauriendam curarent è pijs acroamatis, atque pictura. Id sane spectauit Zacharias Pontifex, qui suo in Triclinio, vt [a] Anastasius prodit, orbis terrarum vniuersi descriptionem sibi, posterioribusq. Pontificibus delineauerat; se enim illosque monere officij voluit, siue alibi, siue super mensam, & inter pocula deponendam Romanis Pontificibus non esse illam, quæ eos tangit, omnium Ecclesiarum solicitudinem. Huius vero Leonianæ Cœnationis imagines, quod facere ad rem maxime videtur, Christum referunt vndecim Discipulis in Cœnaculo præsentem, & coram differentem: quo, quid Leo innuerit, opportuno loco dicemus; præstat enim, ex antiquis scriptoribus, quis huius fuerit vsus Triclinij prius audire. Apparare publicè conuiuia certis celebrioribusque anni diebus, mos est Christianorum vetus, sanctorum virorum exemplo, & diuinarum testimonio litterarum approbatus. Sed

Triclinio-rum ima-gines.

[a] *in Zach.*

Publico-rum vsus Triclinio rum.

ea principiò quidem ab Eccleſijs, ac Templorum porticibus(vbi aliquando cœnatum fuit) ſubmouit Chriſtiana moderatio; certa deinde ijs attribuit loca, in quibus decentius inſtruerentur: idque curauit non modo grauiſsimus Eccleſiaſticorum ordo, ſed etiam laicorum. Reges namque, & Imperatores conuiuia egerunt publica præcipuis Chriſti Domini feſtiuitatibus, quas [a] Georgius enumerat Curopalates, in Triclinijs ſuperbiſsimè ædificatis ornatiſque: in ijs fuit *Tribunal nouemdecim Accubitorum*, de quo paulo ante memoraui, & laudatiſsimum illud Iuſtini Cæſaris, à magnifico & plane regio apparatu [b] χρυσοῦν, *Aureum* appellatum. Modeſtiſsimè id fecerunt Romani Pontifices; à quibus ſubinde in Patriarchio Lateranenſi Triclinia extructa ſunt, numero quidem plura, ſed magnitudine, pro conuiuarum frequentia, ornatu vero, qui Eccleſiaſticis apprimè conueniret; conueniret autem etiam Principibus viris, Regibus, & Imperatoribus, quibus in Vrbem religionis, & votorum ergo confluentibus cœnas dabant Pontifices. In hanc præcipuè rem Leo III. diligentiam videtur contuliſſe, vt honeſtius curaret Triclinium, quàm Theodorus Primus, & Zacharias Pontifices iam olim curauiſſent; quippe anguſtiores fuiſſe illas eorum cœnatiunculas, quàm pro Imperatorum dignitate, minime dubium eſt; cum earum

[a] *De eſſ. Pal. C P.*

[b] *Aut. Antiq. C P.*

Triclinia Pontificum.

Triclinij Regibus excipiendis.

compa-

comparatione, *maius super omnia Triclinia* Leonianum hoc celebret, prædicetque Bibliothecarius. Nimirum ob eam ædificij capacitatem excipiendis Regibus destinati, ætate Iacobi Stephanesci, vt mox dicam, *Regia* nuncupari cæpit cœnaculum Leonianum. Cum igitur Imperatoribus conuiuio accipiendis hoc Leo Triclinium designauisset, summo eius loco, atque conspicuo Imperij vtramque translationem depinxit, de qua statim, prout locus hic postulat, differemus. Clerus verò, Clerique optimates hic conuiuari cum Pontificibus solebant Natali Christi Domini die. Verumtamen eo anni tempore Triclinium Boreali patens, atque apertum regioni vis frigorum, hiemisque fecit oppidò incommodum. Qui ergo paulo post Leonem III. fuere Pontifices Gregorius IV. Sergiusque II. vt Bibliothecarius[a] exponit, *In die Natalis Domini nostri Iesu Christi secundum carnem ibidem minime epulabantur*. Fortasse neque Paschatis die, de quo modo narrabimus, quando nec dum frigorum molestiæ penitus sedatæ Pontificibus ætate grauioribus videri poterant. Commodiori proinde loco positum à Gregorio IV. cœnaculum facile mihi persuadeo; nisi omnino superuacaneum fuisse, nullumque habuisse vsum credere velimus, quod ab illo paucis post Leonianum annis extructum idem[b] autor testatur. *Verum etiam fecit Gregorius in Patriarchio Lateranensi*

Idem Ecclesiasticis accipiendis.

Triclinij Leoniani solitudo.

[a] *in Sergio II.*

[b] *in Greg.*

nensi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum apsida de musiuo; sed & alias apsidas duas dextra, læuaque positas, infra Paracellarium, varijs historijs depictas. Si infra *Paracellarium* Gregoriana cœnatio sita fuit, commodiori haud dubie loco fuit; cùm Patriarchij diuersis hinc inde circumsepta ædibus, & quasi consota, hibernis aptior esse posset conuiuijs. Siquidem *Paracellarium* adeo reconditum in Patriarchij penetralibus fuit, vt *descensum*, inquit [a] Anastasius, *qui Paracellarium respicit, per quem antea homines, velut in nocte, ascendebant, & descendebant, ita nouiter reformarit Gregorius, vt nulla inde transeuntes obscuritas vt ante, valeret præpedire*. Et subdit: *Alia noua adiecit*, nempe Triclinium, *in quibus tres caminatas fieri iussit*, ad frigoris nimirum vim depellendam; qua plane commoditate caruit Leonis hiemale Triclinium. Denique quàm temperatior hiberno tempore illa Triclinij, atque *Paracellarij* sedes fuerit, *Balnei* vicinitas declarat. *Renouauit imo*, inquit, *& Balneum, quod iuxta Paracellarium situm est*. Quapropter, quo ad hoc attinet, cum longe opportunius Gregorij quàm Leonis cœnaculum fuerit, viginti totis annis, quibus Gregorij, atque Sergij Pontificatus ferè computantur, summa Leoniani Triclinij extitit infrequentia. Eaque de causa, quod ædibus diutius habitatorum assiduitate destitutis euenit, & credere par est, vitium fecit; nam *omnia ornamenta*, inquit [b] Anastasius, *quæ ibi Domnus Leo bonæ me-*

[a] *Ibidem.*

Vitium.

[b] *in Leon. IV.*

næ memoriæ Tertius parauerat, præ nimia vetustate, & obliuione antecessorum Pontificum, deleta sunt. Deleta autem erant Leone IV. Pontifice, hoc est, anno, ab ædificato Triclinio, sexagesimo; quo tempore si quis ædificij bene materiati (vt quidem Leonianum hoc fuisse testatur Anastasius) ætatem metiatur, plane videbit, eam non tam ætatis, quàm solitudinis, incuriæque fuisse labem. Restituta ergo sunt à Leone IV. non solum huius Triclinij *ornamenta*, sed etiam *alimenta*, vsus scilicet ille conuiuiorum antiquus die Christi Domini natalitio è Gregoriano Triclinio huc iterum reuocatus. *Isdem verò*, ait Anastasius, *beatissimus, & summus Præsul Leo IV. cum gaudio, & nimia delectatione omnia ornamenta, siue alimenta, quæ inde delata fuerant; nouiter reparauit, & ad vsum pristinum magnificè reuocauit.* Eodem hoc in cœnaculo Paschatis primo, alteroque die, prandere solitos Pontifices accepimus. Primo quidem, ita parabatur mensa, vt more Christi consueto, in lectis tricliniaribus conuiuæ recumberent. *Thoris accubitati* ([a] Sugerius ait) *Agnum materialem sumunt.* Pontifici lectus sternebatur sub Tribunali, nempe summo Triclinij loco, cui ob id nomen *Cubitorio* fuit; hinc inde ad vtramque apsidem discumbebant Cardinales ad prandium vocati. Rem totam ex [b] Benedicti Politici, & [c] Cencij Camerarij rituali-bus libris referre præstat. *Porrò autem in Basilica magna*

Restitutio.

Vsus statis anni temporibus.

[a] *in vita Ludouic. Crassi.*

[b] *in Polit.* [c] *lib. 2.*

gna Leoniana, vbi hoc die in mane Domnus Papa comedit, circa menſam Pontificis præparata ſunt vndecim ſcamna pro quinque Presbyteris totidemque Diaconis Cardinalibus, & Primicerio. Ibi etiam lectus ipſius Pontificis ſolemniter eſt præparatus in figura vndecim Apoſtolorum recumbentium circa menſam Chriſti. Tranſiens autem Pontifex per ipſam Baſilicam intrat Cameram ſuam, vbi in ſcypho argenteo recepto, à Camerario, Presbyterio, eoque, ſicut in Natiuitate Domini, rogato, ſurgit & ducitur à magiſtro ſeneſchalco, & Pincerna ad

Situs. *locum, qui dicitur Cubitorium.* Ex quibus, præter alia, illud quoque intelligimus, hoc Leonis Triclinium pro veſtibulo ferè fuiſſe Pontificij cubiculi, & ex altero, paratum commodumque aditum in alterum patuiſſe, & ex Triclinio in Lateranenſem Eccleſiam; quod, tum quæ infra dicemus, comprobant, tum ille Camerarij locus de ſecundæ diei Paſchatis conuiuio: *Deinde Pontifex*, inquit, *ducitur, ſicut heſterna die, ad conuiuium, quod etiam hodie in Baſilica Leoniana, quæ eſt iuxta Cameram celebratur, finitoque conuiuio deſcendit ad Eccleſiam Lateranenſem.* Qua denique die Pontifex coronam, & infulas accipiebat, publicum ibidem exhibere Primoribus epulum conſueuerat.

[a] *in Vit. Innoc. iij.* Nam [a] Autor Innocentij III. æqualis, qui eius vitam litteris commendauit; *Facta*, inquit, *laude ante Lateranenſe Palatium, poſtquam aſcendit in domum maiorem, quæ Leoniana vocatur, ſolemne conuiuium celebrauit:*

[b] *in lib. de Coron. Bonif.* Et de Bonifacio viij. Iacobus Card. [b] Stephaneſcus.

Exur-

Exurgensque iterum modicam, paucamque per horam
Discubuit thalamo Princeps, qua Regia sese
Protendit, magnique Duces, totusque Senatus,
Et Reges, Procereſque alijs discumbere mensis;
Quique suo sedere loco: fulgebat ab auro
Tota Domus.

Iure Leonianum Triclinium *Regiam* appellauit, etsi enim ad *Basilicæ* nomen, quo reliqua etiam Patriarchij Lateranensis Triclinia vocata sunt, alludere videtur, tamen ob amplitudinem, dignitatem, pulchritudinemque peculiari quadam ratione illud nomen obtinuit. Quandoquidem Theodori, & Zachariæ Cœnacula humili, & sane plebeio vocabulo *Panetariæ*, teste Cencio, dicta fuere; atque in ijs cœnare Pontifices consueuerant sacro Cœnæ Domini die, quando non tam publica lætitia, quæ nulla tunc esse solet, quàm rituum ecclesiasticorum ordo postulare id videbatur. Leonis, & aliorum Triclinio-rum differentia.

ALTERVM EIVSDEM ÆDIFICII nomen, alijque vsus. Cap. V.

SECVNDVM Leoniani Cœnaculi nomen est *Basilica*; quo nomine omnes Patriarchij Lateranensis ædes censebantur, in quibus aliquid solemnium religionum, ecclesiasticarumq. cæremoniarum exerceretur, ob

idque *Eccleſiæ* appellatio tributa illis nonnunquam videtur. Eæ porrò complures in Patriarchio fuerunt; *Baſilica ſancti Laurentij*,[a] in qua, velut in domeſtico ſacrario, Reliquias ſacras Pontifices recondidere, vt in publicis ſupplicationibus eſſent ad manus, atque paratæ.[b] Deſignatorum Epiſcoporum eadem fuit veluti palæſtra, in qua eorum ſcientiæ, morum probitatis, regendique peritiæ, antequam ſacris initiarentur, publicè fiebat experimentum. *Baſilica ſancti Gregorij* Veſtiarium fuit, quam hodie *Cameram* vocant *paramentorum*;[c] in ea Cardinales, & reliqui Antiſtites, qui, inter religiones Pontificibus præſto erant, ſacra ſumebant indumenta. Ex *Baſilica ſancti Syluęſtri* Pontifices, omniſque ordo Eccleſiaſticorum Procerum, Sanctorum reliquias[d] primùm venerati, ſolemni pompa ad ſupplicationes prodibant. Hæc vero ſancti Syluęſtri non modo *Baſilica*, ob eos, quos dixi ritus, ſed etiam *Eccleſia* nuncupatur à Cencio Camerario. Peculiari hac ergo ratione Leonianum Triclinium *Baſilica* nominatum eſt, quòd die qua Palmaria celebramus (ea eſt Dominica *in ramis Palmarum*) in Leonis Triclinium Pontifex, vniuerſuſque Eccleſiaſticorum Senatus ſacris indutus veſtibus conueniebat, & ramos in Baſilica ſancti Syluęſtri primùm omnium ab Acoluthis paratos, & à quopiam deinde ex Cardinalium ordine, ſolemni ritu, & precatione, more maiorum, ſacratos Pontifex

Patriarchij Lateranen. Baſilicæ.

[a] *Cenc. Cam. in Rit.*

[b] *Idem ibid.*

[c] *Idem ibid.*

[d] *Idem ibid.*

Leonis Tricliniũ cur Baſilica.

ſingu-

singulis distribuebat, pompamq. supplicem Cleri, ordinumque omnium inde duci iubebat. E Leoniana Basilica sinistrorsum per scalas Patriarchij in porticum descendebatur Lateranensis Ecclesiæ, indeque pergebatur in presbyterium ad sacra eius diei peragenda, *Palmæ*, inquit [a] Benedictus Politicus, *ab Acoluthis collectæ sunt in Basilica sancti Syluestri, vnus de Cardinalibus eas in Basilica sancti Laurentij in Palatio benedicit, quas Ostiarij portant in Basilicam Leonianam ad Pontificem. Indutis omnibus ordinibus Palatij, Pontifex expendit palmas, postea exeunt inde cum processione, &c.* Tandem in Basilicis causas agitari, ius à Magistratu dici, negotia publica, priuataque pertractari solita, ob idque in Basilicis summo loco apsidas sinuatas, id est Tribunalia, Principibus, ac Magistratui constituta nemo nescit. Cæterum [b] litteris proditum est in hac Leoniana Basilica contra Ioannem Archiepiscopum Rauennatem in ius olim adductum, frequenti Episcoporum, Cardinalium, atque Optimatum consessu, Nicolaum I. Pontificem sententiam tulisse. [c] Eadem etiam in Basilica Rhothadi Suessonum Episcopi causam ab eodem Nicolao cognitam legimus; quare hunc locum agendis negotijs, publicoque Senatui cogendo, quem hodie *Consistorium* appellant, à Leone III. & Successoribus destinatum dicere minime ego quidem dubitauerim. Siquidem Leo post suum è Germania reditum,

[a] *in Polit. Rit.*

Altera eiusdē appellationis causa.

[b] *Anastasius in Nicolao I.*

[c] *Idem ibid.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [45] - 27
PUBLIC DOMAIN

huius Triclinij minime absolutis licèt ornamentis, vt infra probabo, in eo tamen frequentes habuit conuentus de sua, & Sicariorum controuersia: [a] *Cum multo gaudio, & lætitia*, inquit [a] Anastasius, *in Patriarchium Lateranense Leo introiuit: & post aliquantos dies, fidelissimis Missis, qui cum eo venerunt in Pontificale obsequium, videlicet Hildiualdo, & Arno Reuerendissimis Archiepiscopis; & Cuniberto, Berardo, Hattone, & Tesse Reuerendissimis & sanctissimis Episcopis, nec non & Flacco electo Episcopo; verum etiam Helmogot, Rothegario, & Germano gloriosis Comitibus residentibus in Triclinio ipsius Domni Leonis Papæ, & per vnam & amplius hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam malitiam ad ipsum Pontificem habuissent, tam Paschalis, quamque Campulus cum sequacibus eorum, nihil habuerunt aduersus eum quod dicerent*. Ea porrò Nicolai I. acta, conuentum, locique apparatum Anastasius Bibliothecarius minutè describit, quem, cui vacat, legendum relinquimus. Res tamen ipsa non sinit, vt Onuphrij Panuinij opinionem hic ego dissimulem. Nam ille in Lateranensi Patriarchio cum memorari vulgò audierit *Aulam Concilij*, in qua Leonis inscriptum præterea nomen viderit, eam esse putauit, vbi duo illi conuentus à Nicolao fuerint celebrati, eamque *Leonianam maiorem* appellat, *minorem* verò hanc dicit, quam Anastasius Leonis fuisse *Triclinium maius super omnia Triclinia* narrauit. Hæc autem è regione Lateranensis

[a] *in Leon. III.*

Panuinij lapsus.

Eccle-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [46] - 28
PUBLIC DOMAIN

Ecclesiæ, illa verò parte sinistra sita fuit, de qua Panuinius[a]: *Hæc Aula*, inquit, *nostris temporibus Sala Concilij dicitur, quòd ibi, vt opinor, Eugenius IV. Concilium celebrare dispposuerit, & nouissimè Iulius II. celebrauerit. Antiquitus ab amplitudine, Casa maior, vel ab Autore, Basilica Leoniana dicebatur; quam Leo Papa Tertius Pontificum Romanorum vsui construxit, & exornauit, in qua diebus quibusdam solemnibus, vt Paschatis, & Natalis Domini, Romani Pontifices cum Cardinalibus prandere solemni ritu consueuerant, &c. Hæc omnia innuere videtur oratio, quæ scripta est in Zophoro apsidæ maioris, in qua Deus oratur, vt protegat domum illam, & omnes in ea conuiuantes.* Quod hæc Aula nostra tempestate *Sala Concilij* dicta sit ob Synodum ab Eugenio IV. cogendam, vel à Iulio II. ibidem coactam, parum hic refert, aut nihil. Tametsi ex antiquis Lateranensibus Synodis (de priuatis Conuentibus non loquor) nescio an in *Aula*, quam vulgus *Conciliarem* vocat, vel vnam quidem Panuinius celebratam inueniat; quod enim ait de Iulij II. Concilio, nisi priuati aliqui congressus ibi facti sunt, Acta certè publica, quæ in lucem prodiere, agitata, perfectaque fuisse legimus[b] in Ecclesia Lateranensi. Quod verò in Leoniana Domo conuenisse Nicolaus ab Anastasio dicatur, vtique in Leoniana conuenit, quam Leo III. vt paulo ante ostendimus, à fundamentis ædificauit, quam sui decorauit nominis magnitudine; quam denique Leo IV. incul-

[a] *lib 4. de Basil. Lat. c. 3. & 9.*

[b] *in Actis Concil.*

tam

tam neglectamque reſtituit: nam illa Panuiniana, etſi Leonis nomen inſcriptum habuit, tamen inſtauratoris ille titulus fuit, non autoris. Atqui eam domum, ſi ob reſtaurationem, Leonianam appellatam velit, vniuerſum Lateranenſe Patriarchium Leonianum dicat oportet, cuius vix vllam partem inueniat, quæ à Leone III. Anaſtaſio teſte, refecta non ſit. Fatetur Panuinius eam Aulam, *Caſam maiorem*, ob amplitudinem ſuo fortaſſe tempore nuncupatam fuiſſe, *Macronam*, græco, priſcoque vocabulo ob inſignem longitudinem ab Anaſtaſio vocatam, obſeruo; quod non ſolùm ille in ſuo de Patriarchio Lateranenſi commentario non animaduertit, ſed *Macronæ* ne meminit quidem. Atqui tantum abeſt, vt Leo III. *Macronam*, vel aliam eius partem conſtruxerit, vt iam dudum vetuſtate ruinoſam refecerit. *Macronam vero*, inquit[a] Anaſtaſius, *ipſius Lateranenſis Patriarchij, quæ extenditur à campo, & vltra imagines Apoſtolorum, quæ præ nimia vetuſtate ruitura erat, à fundamentis ſimul, & ſarta tecta, nec non & Solarium ab imo vſque ad ſummum nouiter reſtaurauit, & in melius firmiſſimis marmoribus ſtrauit, atque Cameram ipſius Macronæ nouiter fecit, & diuerſis hiſtorijs pictura mirificè decorauit.* Neque duas fingas tibi *Macronas*, quarum alteram pictura, alteram muſiuum illud quod Panuinius refert perornaret. Nam ſanctæ Praxedis tribunal ex muſiuo elaboratum à Paſchale I. quis eſt qui non videat?

[a] *in Leon. III.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [48] - 30
PUBLIC DOMAIN

videat? imo nec Anastasius inficiatur, de eo tamen scripsit in hunc modum; *Apsidam verò eiusdem Ecclesiæ musiuo opere exornatam varijs decenter coloribus decorauit.* Scilicet pro musiuo, *colores*, & *picturam* vsurpauit. Neque verò quod à viris Romanarum antiquitatum peritis memini audire me, *Macronam* intelligas Ambulacrum perpetuum, ac fenestratum Patriarchij Lateranensis. Illud ab Anastasio hic appellari vides *Solarium;* quòd ad meridiem pertinens, Soliq. apertum, calorem, ac lumen amplissimis, atque frequentissimis fenestris opportunè ad hibernas deambulationes admittebat. Id *Solarium* cum vicina proximaque *Macrona* à Leone III. vt citato loco animaduertis, reconcinnatum fuit; *Solarium* verò tantùm à Leone IV. iterum reparatum fuisse idem testatur Anastasius. *Nam & Solarium, quod beatæ memoriæ Leo III. Papa constructum erat, cum præ nimia vetustate fractis trabibus in ruinis cerneretur euersum, nouiter pulchrius in meliorem speciem restaurauit.* Quod denique Panuinius addit de eius Aulæ inscriptione, & de conuiuijs in eadem celebrari solitis; In eam Aulam conuiuia translata fortasse nonnunquam fuere ob loci capacitatem post Leonis III. imo etiam Anastasij Bibliothecarij tempora. Nam cur Triclinio amplissimo in ædibus Lateranensibus iam existente, & à Leone III. quod Panuinius credit, constructo; cur, inquam, Leo idem ad vitandas Theodori, &

in Pasc. I.

Aliorum lapsus.

in Leone IV.

Zacha-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [49] - 31
PUBLIC DOMAIN

Zachariæ Tricliniorum anguſtias, hoc ijs amplius, atque patentius exædificaſſet? Cur autem Anaſtaſius Cœnaculorum omnium Patriarchij maximum illud Leonis Cœnaculum appellaſſet, quando ab hoc Panuiniano magnitudine longè multumque ſuperaretur? illa enim Aula Panuinij Triclinio Leonis maior, & amplior altero tanto fuit. Sed tandem dirimamus, ſi libet, quæſtionem, & quaſi de facie vtrumque diſcernamus ædificium. Anaſtaſius Leonis Triclinium tribus conſtare duntaxat apſidibus memorat, ſuum vero Panuinius, vndecim: *Aula*, inquit, *ampla & ſpatioſa, quæ Concilij Sala hodiè nominatur; quæ, præter apſidam maiorem, ab vtroque latere habet apſidulas decem*. Satis eſt, habemus quod liqueat. Ergo & illud male Panuinius, qui Leoniani Triclinij reſtaurationem, quam Leonem IV. curaſſe refert Anaſtaſius, ad hanc *Aulam Concilij* detorquet, de quo nos ſupra diſſeruimus.

Panu. loc. cit.

DVORVM LEONIS III. TRICLINIORVM Lateranenſium diſtinctio. Cap. VI.

ILLVD nonnihil quæſtionis habere videtur, quod de altero Leonis Triclinio Lateranenſi accepimus; nam quia Triclinium eſt, ac in Laterano, & à Leone III. collocatum, neſcio quid ſcrupuli, & dubitationis

tionis in animo relinquit; nisi inter vtrumque quid interfit, planè demonstretur. Alterum ergo Triclinium sic ab [a] Anastasio describitur: *Itemque fecit in Patriarchio Lateranensi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum apsida de musiuo, sed & alias apsidas decem dextra læuaque diuersis historijs depictas, habentes Apostolos Gentibus prædicantes, cohærentes Basilicæ Constantinianæ. In quo loco & accubita collocauit, & in medio Concham porphyreticam aquam fundentem; nec non & pauimentum ipsius marmoribus diuersis strauit.* Si quis hanc, & prioris Triclinij descriptionem commiserit, ac diligentius compararit, tria in illo duntaxat Tribunalia, in hoc vndecim extitisse comperiet. Hic præterea *Labrum* in ædium cauo deprehendet, quo primum illud Cœnaculum caruisse omninò nouimus. Hoc deinde nullis, illud diuersis columnis sustentabatur, vario ordine, præstantique arte dispositis. Denique ipsi videmus prioris Triclinij apsidas à Constantinianæ Basilicæ lateribus longius distare; huius verò ita vicinas fuisse, vt Lateranensis Ecclesiæ parietibus adhæresceret. Hoc totum ex illa comparatione discrimen nullo negotio colligitur. Sed accedit eodem, quòd prioris illius Triclinij structura, & fabrica sublimis fuit, & vt Græci propriè vocant ἀνώγεως: posterioris verò, vt ijdem loquuntur, κατώγεως, hoc est, solo æqualis, & humilis, ac vt proprio Romanis vocabulo loci differentiam exprimamus,

Alterum Leonis Triclinium Lateran.

[a] *in Leon. III.*

Vtriusque Triclinij comparatio.

Differentia à structura.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [51] - 33
PUBLIC DOMAIN

hæc Cœnatio, illud Cœnaculum fuit. Nam Cencius
In Rit. Camerarius: *tranſiens*, inquit, *Pontifex per ipſam Baſilicam Leonianam intrat Cameram ſuam;* aſcendit procul dubio dixiſſet, niſi vnum vtriuſque pauimentum fuiſſet Baſilicæ Leonianæ, & Cubiculi Pontificij. Deinde Autorum, quos ſupra laudauimus, teſtimonio conſtat, ramos Palmarum in Clerum, Populumque à Summo Pontifice diſtribuendos è ſancti Sylueſtri in ſancti Laurentij Baſilicam, atque inde in Leonianam, præſtolanti Pontifici æquo pede miniſtris eò accedentibus, delatos fuiſſe; hæ igitur Patriarchj Lateranenſis Baſilicæ æquali, perpetuoque ſitæ pauimento erant. Atqui ambas illas ſancti Sylueſtri, & ſancti Laurentij ſublimes fuiſſe, citra controuerſiam eſt; quandoquidem hæc poſterior, quæ hodieque eſt integra, gradibus imminet, quos, *Scalam* vulgò *ſanctam*, appellant. Denique omnem eximit dubietatem Autor vitæ Innocentij III. qui, *facta*, inquit, *laude ante Lateranenſe Palatium, poſtquam aſcendit in domum maiorem, quæ Leoniana*
[a] *in Nicolao I.* *vocatur, ſolemne conuiuium celebrauit.* [a] Anaſtaſius etiam Bibliothecarius: *Domum*, ait, *quæ dicitur Leoniana, beatiſsimus Præſul cum Epiſcopis*, &c. *conſcendit*. Prius ergo illud Leonis Triclinium ſublime fuit, poſterius au-
A partibus. tem humile fuiſſe res ipſa loquitur. Siquidem huiuſce pauimentum *marmoribus ſtratum*, & *in medio Concham porphyreticam aquam fundentem* habuiſſe narrat

Ana-

Anastasius. Atqui certè in prima, aut superiore domus contignatione collocare hæc, vniuersa Architecturæ disciplina,& ædificandi ars prohibet, siue coaxatione, siue fornicibus constare velis eam structuræ partem, in quam marmorum,& Conchæ pondus imponis, & aquarum perennitatem deriuas. Subdialis ergo fons ille fuit, & in cauædio,cum cæteroqui pauimentum, in quo labrum porphyreticum est collocatum, ipsa fuerit humus, & solum; idque ita ratio conuincit, vt nemo iam non videat. Præsertim cum alterum hoc Leonis Triclinium xenodochium esset, eiusque amplitudo non maiestati, & aquarum perennitas non delicijs, sed confluentium peregrinorum commoditati parata forent. *In eo enim loco,* inquit Anastasius, *accubita collocauit*, hoc est mensas & scamna, eaque fixa, vt in Xenodochijs, & diuersorijs assolet. Aquarum ille fons non solum Xenodochij ministerijs, sed hospitum etiam lauationibus destinatus erat, quibus peregrinorum obsequijs assidui olim fuere Pontifices, & in eosdem pietatis specimen præbuerunt. Hæc quæ Bibliothecarius paulò obscurius exposuit,alibi cum de peregrinorum Accubitu Vaticano à Leone III. ædificato agit, ita clarius narrat. *Fecit iuxta eosdem gradus Basilicæ Principis Apostolorum domum à fundamentis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam; in qua etiam, & accubitus collocauit, & fecit iuxta eandem domum*

Ab eius vsu.

in Leon. III.

pro ſubſidijs Chriſti pauperum, atque peregrinorum balneum à fundamentis mirificè decoratum. Hæc aduenarum Triclinia magnis ſumptibus aperuerunt Pontifices, idque potiſsimum fecere prope celeberrimas Baſilicas Vaticanam, & Lateranenſem, ad quas orationis cauſa ex toto terrarum orbe concurſus fuit peregrinorum, quos nimirum Procopius intelligit in ἀνεψιότοις, vbi ſedes eorum apud Diui Petri commemorat, & annonam à Theodorico eiſdem conſtitutam. Ex quo tempore factum eſt, vt ampliſsima ditiſsimaque Noſocomia non in Vaticano ſolùm, ſed etiam in Laterano hæſerint, loco minime illo quidem hodie frequenti. Quo tanto magis Pontificum Romanorum in exteros, egenteſque commendatur caritas, atque munificentia, quæ, poſt tanti temporis diuturnitatem, ac locorum, & ſedis mutationem, ne loco quidem moueri, ne dum aliqua ex parte minui potuit. Sed de duorum Leonis Tricliniorum Lateranenſium differentia ſatis.

MVSIVVM TRICLINII A LEONE III. fuiſſe paratum. Cap. VII.

SEMIRVTI Lateranenſis ædificij conditorem, nomen, vſumq. indicauimus. Quod ſupereſt, partitionem, Symmetriam, & extructionis elegantiam à nobis quis fortaſſe requirat,

rat, vel saltem vt de ornamentis, quæ Anastasius commemorat, aliquid differamus, & an hibernum illud Triclinium fuerit, an æstiuum, vel ad quas potissimum cœli regiones pertineret. De prospectu quidem cœnaculi, prout supra tulit occasio, disputaui. De ornatu verò, qui omnino deperijt, nec ad rem facit, nosse aliquid, ignorasseque perinde est. Ego certè Illustrissimi FRANCISCI Cardinalis BARBERINI sententiam laudare soleo, qui, vt omnis Ecclesiastica vetustas summo studio inuestigetur, suadet quidem; conseruandam verò, colendamque eam tantum existimat, ex qua proficias. Quamobrem Triclinij partem solummodo, quam ille singulari, optimoque consilio duxit reparandam, nonnulla commentatione, si id tamen assequar, explanabo. Cum Leonis III. Triclinium à Leone IV. refectum fuisse constet, subit non leuis animum suspicio, sit ne hoc illud opus vermiculatum, nec ne, quod Leo III. ante annos octingentos, & amplius pingi iusserit; nam insititij operis conditio adeo esse caduca videtur, vt tandiu perdurare potuisse vix credi queat. Imo si quod est picturæ genus, quod ætatem, ac temporis ferat iniurias, tessellatum maximè, quàmque diutissimè ferre solet. Tulit hoc varias incendiorum Lateranensium iniurias, quemadmodum semiustæ illæ indicant aureæ tessellæ, quas in tabula hic illic præ alijs ob id ni-

Franc. Barberini sententia.

Hoc esse Leonis musiuum probatur

A musiui natura.

id nigricare videmus. Nam virides, rubræ, flauæ, candidæ suo quæque colore saturæ sunt, quibus, dum in fornace conflantur, pigmentum, quod præ se ferunt, penitus licet combibere. Non item aureis licet, quas superficie tenus opifices aureis folliculis tenuissimis tantùm conuestiunt, vitroque statim illos obducunt, quò sint ab iniurijs tutiores; at si quando vitrum ignis vim sentiat, facile cedere, creditumque sibi aurum prodere consueuit. Verum enimuerò de Leonis musiui ætate nemo iure ambigat, quamdiu Aquisgrani superat (quod superare nouimus) Basilicæ Caroli Imperatoris emblema. Sed Romæ longè vetustiorem est obseruare vermiculati operis antiquitatem. Extat Adriani I. qui Leonem in Pontificatu proximè præcessit, nobilis, atque elegantis manus tabula in Templo sanctæ Pudentianæ, omni ex parte integra, quæ præstantissimo internitet musiuo vltra eius ætatis modum, atque peritiam. Iuxta Baptisterium Constantini Augusti emblemate relucet Ioannis IV. Sacellum, qui annos ferè ducentos Leone est antiquior; eademque ætate Pontificatum gessit Honorius I. qui via Nomentana sanctæ Agnetis Ecclesiæ cameram, quæ etiam num supereſt, opere segmentato perornauit. Via sacra in templo sanctorum Cosmæ & Damiani non ne videmus apsidem versicoloribus illustratam lapillis à Felice IV. qui

A musiuis æqualibus.

A musiuis vetustioribus.

tertio

tertio ante Leonem seculo floruit? longè hanc ætatem præcessit Simplicius, qui in sancti Andreæ Basilica (*Cata-Barbara* vocant) non solùm quas cernimus imagines tessella insititia distinxit, sed quem legimus etiam sui nominis, ac donationis titulum eodem opere descripsit. Vetustatem musiui Arcus maioris Ecclesiæ sancti Pauli, via Ostiensi, illa Placidiæ Augustæ, & Leonis I. inscripta nomina satis declarant. Quid plura? Musiuum Arcus triumphalis, & Medianæ parietum Basilicæ Liberianæ in Exquilijs, non ne mille ducentorum fert annorum ætatem? nam Sixti III. titulum imminere adhuc quisque videt in Arcus fastigio. Sed si tempus, ait, non repugnat, certè Leonis III. priscorumque Pontificum modestia non permittit, vt factas ab ijs credamus imagines, in quibus eorum effigies conspiciuntur. Scio hanc nonnullorum censoriam esse seueritatem, qui omni titulorum, imaginum, & inscriptionum vsui interdictum modestiæ legibus volunt, & de maiorum sanctitate, grauitateque probè, ac dignè sentire se putant, cum suas illos imagines vel pictas, vel fictas poni minime passos fuisse contendunt; memoriæ verò clarorum virorum ad posteros deriuandæ vnum satis esse arbitrantur rectè factorum testimonium. Verùm enim verò Maiores nostri probitate, & modestia insignes eam consuetudinem, vt parcè, ita citra vituperationem

An suas Pontifices posuerint imagines.

vsur-

vſurpaſſe iſtis etiam Cenſoribus videri poſſunt. Extant ad hanc diem imagines ad viuum expreſſæ, quas ſibi poſuerunt Innocentius II. in Baſilica Calliſtiana ſub Ianiculo; Paſchalis Primus trans Tiberim ad ſanctæ Cæciliæ, & ad ſanctæ Praxedis in Exquilijs; Gregorius IV. in Baſilica ſancti Marci; Ioannes IV. ad ſancti Venantij in Laterano; Honorius I. in Templo ſanctæ Agnetis via Nomentana; Felicis IV. imago in æde ſancti Damiani ad forum Boarium non ita multis ante annis collapſa, ſub Gregorij XIII. perſona, vultuque renouata eſt. Hæc quidem nos oculis ſpectamus: ex hiſtorijs verò teſtimonia proferre licet non pauca, neque priuata; nam Ioannis VII. extructiones, cum adhuc Romæ extarent, ex eius vultus pictura indigitare [a] Anaſtaſius ſolebat: *Fecit verò & imagines*, inquit, *per diuerſas Eccleſias, quas quicumque noſſe deſiderat, in eis eius vultum depictum reperiet;* qui porrò ex longinqua vetuſtate ante hoc quindennium ſupererat, ex antiqua Vaticana Baſilica, cum *Ciborio*, quod *Veronicam* appellabant, ſublatus eſt. Gregorius Magnus, *dum adhuc viueret, ſuam ſimilitudinem*, inquit [b] Ioannes Diaconus, *depingi ſalubriter voluit, in qua poſſet à ſuis Monachis non pro elationis gloria, ſed pro cognitæ diſtrictionis cautela frequentius intueri, vbi huiuſmodi diſtichon ipſe dictauit.*

[a] *in Ioan. VII.*

[b] *Vit. Greg. lib. 4. c. 84.*

Chriſte potens Domine noſtri largitor honoris

Indul-

Indultum officium solita pietate guberna.

Neque Paulinus Nolanus Antistes ægrè fert, quòd eius imaginem Seuerus statuerit in Baptisterio, sed quòd vno in loco, atque eodem cum Martino viro sanctissimo statuerit. *Quæ ergo societas*, inquit, *lumini, & tenebris, hoc est nobis, & Martino? euenit vt peccator iusto compositus magis sordeat, & peccatore collatus magis iustus elucescat.* In quam sententiam pro sua modestia, animique demissione hoc edidit carmen; Epist. ad Sev. 12.

Abluitis quicunque animas, & membra lauacris
Cernite propositas, ad bona facta vias.
Adstat perfectæ Martinus regula vitæ.
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati:
Exemplar Sanctis ille sit, iste reis.

Porrò Pontificum, Episcoporum, ac Principum effigies in Ecclesiarum tribunalibus cum sanctorum depingere virorum vultibus perinde erat, ac in Diptychorum albo post horum vocabula, illorum quoque nomina subnectere, ac inter missarum religiones, in frequenti populorum conuentu publicè recitare. Nam, si quando res ita tulisset, quorum è Diptychis nomina, eorumdem è parietibus abradebantur imagines. *Deinde abstulerunt*, inquit [a] Anastasius, *de Diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus vbi vbi esse poterant auferentes, id est Cyri, Sergij, Pauli, Pyrrhi, Petri,* [a] *in Agathone.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [59] - 41
PUBLIC DOMAIN

Petri, per quos error orthodoxæ fidei vſque nunc pullulauit.

Coniecturas arguimus, quibus muſiui Leoniani fides minui,& in ſuſpicionem recentioris ætatis adduci poſſe videbatur; ſuis id etiam rationibus ſtatuere æquè eſt facile. Quandoquidem ex duabus Leonis III. Carolique Magni ſimulachrorum inſcriptionibus integra quidem altera ſuppetit, alteram, cuius extremæ partes exeſæ, ac penè dimidiatæ relictæ nobis ſunt, Angelus Maſſarellus plenam, totamque ita ſua ætate legit, excepitque

Idem ſuis rationibus probatur.

BEATE. PETRE. DONA
VITAM. LEONI. PP. ET BICTO-
RIAM. CARVLO. REGI. DONA

Quod, illis ſuperſtitibus, inſcriptum affirmare tam rationi conſentaneum eſt, quàm abſurdum fuerit vitam, triumphoſque demortuis peroptare. Præterquam quod vel altera illa inſcriptio

SANCTISSIMVS. D. N. LEO. PP
D. N. CARVLO. REGI

hoc idem apud eum conuincere poteſt, qui vel leuem antiquitatis notitiam habeat. Cur autem *Dominum noſtrum* eum appelles, qui tibi iam dudum non ſit, eiuſque loco tibi ſit alter? Gregorius IV. qui decimo poſt Leonem anno Pontifex fuit, hanc illius ætatis conſuetudinem comprobat inſcriptione, quam viuenti Leuitæ Aediles in ſancti Marci Baſilica poſuerunt, hodieque legimus.

SAN-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [60] - 42
PUBLIC DOMAIN

SANCTISSIMVS. D. N. GREGORIVS. PP

Vasta tholi firmo sistunt fundamine fulcra,
Quæ Salamoniaco fulgent sub sydere ritu.
Hæc tibi, proque tuo patefecit Præsul honore
Gregorius, Marce, eximio cui nomine Quartus.
Tu quoque posce Deum viuendi tempora longa
Donet, & ad cœli post funus sydera ducat.

Præterea quadratum illud insigne, quo Leonis, Carolique redimita videmus capita, inditium est minime dubium, vtrique tum vitam suppeditauisse, cum Triclinio fastigium, & picturæ, ornamentisque suprema manus imponebatur. Quamquam enim vita etiam perfunctis id genus ornamenti adhibitum nonnunquam fuisse paulò post demonstrabo, id tamen contigit, vsurpatumque rarò est; contra verò ijs, qui in vita essent, totam eius ritus rationem accommodatam fuisse Ioannis Diaconi, & sexcentis priscarum imaginum testimonijs confirmari potest. Quod reliquum est; cum de Lateranensi hoc toto ædificio, deque eius musiuo, ac vtriusque Conditore habeamus quod liqueat; historiam ex vltima illorum temporum vetustate petitam, quam nullus antiquitatis Romanæ siue sacræ, siue profanæ indagator deprehendit, neque qui omnem Laterani priscam euoluit memoriam Onuphrius Panuinius obseruauit, Illustrissimus Cardinalis BARBERINVS lapidi incisam publicè propo-

ni iuſsit, quò & res ipſa indubitatum haberet teſtimonium, & reliqua ædificij pars, quam excitare religio fuit, ſaltem hoc vno in lapide appareret, & æternæ poſterorum memoriæ conſeruaretur.

LEO · PAPA · III
FECIT. IN. PATRIARCHIO. LATERANENSI
TRICLINIVM
MAIVS. SVPER. OMNIA. TRICLINIA
NOMINIS. SVI. MAGNITVDINE. DECORATVM
PONENS. IN. EO. FVNDAMENTA. FIRMISSIMA
ET. IN. CIRCVITV. LAMINIS. MARMOREIS. ORNAVIT
ATQVE. MARMORIBVS. IN. EXEMPLIS. STRAVIT
ET. DIVERSIS. COLVMNIS. TAM. PROPHYRETICIS
QVAMQVE. ALBIS. ET. SCVLPTIS
CVM. VASIS. ET. LILIIS. SIMVL. POSITIS
DECORAVIT
CAMERAM. CVM. APSIDA. DE. MVSIVO
ET. ALIAS. DVAS. APSIDAS
DIVERSAS. HISTORIAS. PINGENS
MARMORVM. INCRVSTATIONE. PARITER. IN. CIRCVITV
DECORAVIT
EX · ANASTASIO · BIBLIOTHECARIO

CAME-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [62] - 44
PUBLIC DOMAIN

CAMERÆ MVSIVVM QVID PRÆ-ferat. Cap. VIII.

VT de Leoniani Cœnaculi emblemate, quid maxime referat scire, existimareque possimus; ædificatoris consilium inuestigemus oportet; cùm pro arbitratu cuique suo eiusmodi parare ædificiorum ornamenta liceat. Zacharias [a] Pontifex Triclinium à se in Laterano collocatum vniuersarum christiani orbis Prouinciarum tabulis conuestiuit, ea, quam paulò ante dixi, de causa. Ijs in [b] porticibus, quas *Ptochia* Græci dicunt, vbi egentes publicè alebantur; pauperum greges, alimenta, ministrorum obsequia Adrianus I. exprimi iussit. In amplissimo [c] Xenodochio Lateranensi Apostolos Gentibus prædicantes Leoni III. pingere libuit, vt exteri aduenæ suarum quique regionum magistros, & prima fidei Christianæ apud suos exordia, Romæ vel inter epulas, contemplarentur. Ergo in Triclinio conuiuijs Pontificum, & Imperatorum designato partæ suo tempore publicæ pacis, Imperijque translati monumenta, & quandam tum gestorum faciem subdere obtutibus Leo voluit. Partæ quidem pacis monumentum in ipso Tribunali ita constituit.

Varia Triclinio-rum ornamenta.

[a] *Anast. in Zacch.*

[b] *Idem in Adrian. I.*

[c] *Idem in Leon. III.*

Notum



Pax Ecc. Rom. reddita.

Notum verò eſt, & omnium, vel Græcorum, vel Latinorum hiſtorijs celebre piaculum, quod turbulenti homines in virum ſanctiſsimum, atque innocentiſsimum, Romanus Populus in ciuem ſuum,

Eccle

Ecclesiastici ordinis facilè principes in Leonem Pontificem Maximum perpetrarunt, vnde exorta inter Romanos disidia, & cum in Vrbe, tum in vniuersa Italia turbata pax publica. Ad quam componendam Albinus Flaccus, vir summæ apud Carolum Magnum autoritatis, grauissimis olim verbis eundem inflammauit. [a] *Ecce in te solo tota salus Ecclesiarum Christi inclinata recumbit. Tu vindex scelerum, tu rector errantium, tu consolator mœrentium, tu exaltatio bonorum. Non ne Romana in Sede, vbi religio maxima pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla emerserunt? ipsi cordibus suis excœcati excœcauerunt caput proprium. Nec ibi timor Dei, nec sapientia, nec caritas esse videtur. Quid boni ibi esse poterit, vbi nihil horum trium inuenitur? Si timor Dei esset in eis, non auderent; si sapientia, non voluissent; si caritas, nequaquam fecissent. Tempora sunt periculosa olim ab ipsa Veritate prædicta, quia refrigescet caritas multorum. Nullatenus capitis cura omittenda est. Leuius est pedes dolere, quàm caput. Componatur PAX cum populo nefando, si fieri potest. Relinquantur aliquantulum minæ, ne obdurati fugiant: sed in spe retineantur, donec salubri consilio ad PACEM reuocentur.* Scelus porro illud nefarium in Leonem editum, quod Flaccus innuit, licet ab [b] Anastasio Bibliothecario vicino illorum temporum scriptore luculenter narratum sit, citò tamen, facileque vt credant, adduci se minime quidam patiuntur, sed quiduis potius actum existimant, quàm effossos oculos;

[a] *Albin. epist. 11.*

[b] *in Leon. III.*

An Leoni eruti sunt oculi.

los, vel præcisam ei linguam fuisse, qui post acerbum illum casum, tenuerit diuturnissimum Pontificatum. Scilicet[a] Philippo Mornæo, & istis catholicæ fidei desertoribus maxima videtur pietas perduellium illorum facinus minuere, modò ne vel in sanctissimi Pontificis commendationem, vel in liberatoris Dei cedat gloriam tanti sceleris immanitas. *Conspirarant*, inquit[b] Ioachimus Camerarius, *in Leonem Pontificem quidam, & capto iusserant oculos erui. Quibus tamen hoc negotium datum fuerat, vt cruentos quidem vulnerando oculos fecerunt, sed pepercerunt luminibus Pontificis. Itaque visus ei ademptus non est. De quo fabulam postea sparserunt quidam, visum Pontifici diuinitus restitutum fuisse.* Sed non desunt Leonis æquales, vel Græci, vel Latini testes veritatis.[c] Theophanes rem gestam sic exposuit: οἱ τῆς ῥώμης συγγενεῖς τοῦ μακαριωτάτου πάπα Ἀδριανοῦ συγκινήσαντες τὸν λαὸν ἐστασίασαν κατὰ Λέοντος τοῦ πάπα, καὶ κρατήσαντες ἐτύφλωσαν αὐτὸν. Quæ ita Bibliothecarius conuertit. *Romæ, cognati bonæ memoriæ Adriani Papæ commouentes populum tumultuati sunt contra Leonem Papam, & tenentes excœcauerunt eum.* Quod vero Theophanes de aspectu eidem Pontifici restituto dicere prætermisit, addit Anastasius, suo tamen illo scribendi genere ambiguo, & minime accurato; *Non tamen penitus lumen eius extinguere potuerunt;* dicere voluit, *Non tamen in posterum tempus*, siue *in perpetuum, lumen eius extinguere potuerunt;* ne vel à Theophane, quem interpretatur

[a] *de Hist. Pap.*

[b] *ad Chron. vel. sanĕti Niceph.*

[c] *Theoph. in Chron.*

pretatur diſcedere, vel ſibi alioqui non conſtare videatur. Theophanes enim, penitus extinctum Leoni lumen ait; ipſe verò, eidem, paulò poſt, diuinitus reſtitutum [a] narrat. Carolus Magnus, ſcelus in Eccleſia Romana nunquam antea auditum, ijs haud dubie nuncijs acceptum, qui Romam nec vni, nec incerti ad ſe tanquam Romanorum Patricium, Vrbis patronum, Eccleſiæque Romanæ Defenſorem ſubinde, crebriuſque publicis, priuatiſque litteris perferebantur, cum ad alios perſcripſit, tum ad Albinum Flaccum præceptorem ſuum: *Quid verò*, Flaccus [b] ait, *in eo actum ſit, qui Rector præfatæ ſedis fuerat, mihi veneranda bonitas veſtra innoteſcere curauit.* Statimque ſubdit quemadmodum Caroli litteris acceperat: Romanos *cordibus ſuis excœcatos excœcaſſe caput proprium*, hoc eſt Pontificem Maximum. [c] Eginhartus rem eamdem ita perſequitur. *Romani Leonem multis affectum iniurijs, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt.* Idem Albinus Flaccus in carmine de Leonis ad Carolum profectione.

[a] *in Leon. III.*

[b] *apud Albin. epiſt. 11.*

[c] *Egin. in Vit. Car. Mag.*

Pontificem expulſum Romana à ſede Leonem
Ciuibus à proprijs, & tot toleraſſe recenſet
Verbera commemorans, extinctum lumine vultum
Narrat, & abſciſſam liquido de gutture linguam:
Nunc medicante Deo ſanatum, & ab omnibus iſtis
Eſſe malis.

Et ſtatim infra.

Exquirit Carolus caſus, auditque laborum
Diuerſos, ſceleris populi impia facta ſtupeſcit,
Miratur geminas iam dudum luce feneſtras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur forcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus.

[a] *ad ann. 799.* [a] Autor Annalium Francorum: *Leo Papa dum cum litania proceſſurus de Lateranis ad Eccleſiam beati Laurentij, quæ ad Craticulam vocatur, equo ſedens pergeret, in inſidias à Romanis poſitas iuxta eandem Baſilicam incidit: vbi equo deiectus, & erutis oculis*, vt aliquibus viſum eſt, *lingua quoque amputata, nudus ac ſemiuiuus in platea relictus eſt.* Si, vt docti viri non dubitant, Albini, Eginharti, & Caroli hic Autor eſt æqualis, quis non videat adſcititiam eſſe illam vocem, *vt aliquibus viſum eſt*, quam ex libri margine deſumptam neſcio quis ad orationis, & hiſtoriæ filum attexuit? Si verò tantis viris ætate poſterior eſt, derogare ijs fidem non poteſt, quorum, ob ætatem, præiudicata eſt autoritas. Si [b] *Ibidem.* Zonaram [b] Mornæus, nuperum ſanè ſcriptorem, proferat, is non ſolùm Theophanis eodem ætatis præiudicio exploditur, ſed falſi etiam redarguitur; vt qui ab autoris fide diſceſſerit, quem penè deſcribere ſolet. Sed ſi Romanorum in eo facto conſilium exquirimus, id tale fuit, vt Leonem Pontificem de ea, quam ipſi minime ferrent, domina-

tione

tione deturbarent lege Persicæ crudelitatis, quæ iam dudum in Imperio Romano inoleuerat, quaue per eosdem illos dies Irene Augusta Constantino filio imperij collegæ oculorum visum ademerat, vt aditum ad eam dignitatem in posterum filio præcluderet. Leoni præterea linguam Romani præciderunt, cuius censoria facundia perditos mores suos, viuendique licentiam increpari sentiebant; nam ob eam dicendi vehementiam [a] *Sermocinatoris* nomen Leonem inuenisse accepimus. His licet indignis modis à Populo Romano acceptus Leo, tamen in repræsentanda hoc in Triclinio PACE, ad quam sibi, Ecclesiæque suæ, ac vniuersæ Italiæ restituendam Carolum Regem ipse coram permouit, christiana cum primis vsus est modestia. Nam impiam in se Romanorum coniurationem, Paschalis Primicerij, Campulique Sacellarij insidias, sicariorum impetum, inter sacras religiones strictos in se mucrones, publicè, & in conspectum Populi Romani proponere, præterquàm quòd exacerbare mentem facinorosorum hominum poterat, qui suam impietatem perpetuæ posterorum memoriæ commendari viderent; animum etiam affectum olim iniuria non omnino vacuum indignationis prodidisset; à qua tam longe fuit Leo vir sanctus, vt non modo paricidij crimen sicarijs, sed coniurationis autoribus vitam etiam, licèt Carolo Magno recla-

[a] *Romual. Salern. Chron.* Leonis modestiæ monumẽtum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [69] - 51
PUBLIC DOMAIN

mante condonauerit; vt ob id à Theophane meritò φιλάνθρωπος sit appellatus. Quare facinus aduersariorum tam horrendum, vel reportatam à se victoriam inuidiæ plenam in tabulis, qui Gentilium mos fuit, exprimendam minime duxit; ex Euangelij autem armamentario deprompta triumphi tesseras, in tranquilissimæ pacis imagine, qua nullus offenderetur, & in exemplo Christi Domini, ita expressit exercitæ in se crudelitatis memoriam, vt magis ornatum, quàm historiam impiè in se commissorum quæsisse videatur. Ergo cum in Triclinio à se nuper extructo id fieri deberet, Christum Dominum pacis autorem post nuperum laniatum rediuiuum, PACEM Discipulis in cœnaculo nunciantem proposuit. Quem sanè ad modum ipse post effossos oculos, post linguam præcisam, post diram denique paricidarum immanitatem, quasi ad vitam reuocatus, qui in se sæuijssent, ad pacem non adducit modò, verùm ad mensas vocat & conuiuia, quibus eò magis fœdera pacis inter se stabilirentur. Quod à se, tum animi magnitudine, grauitateque, tum bona, publicaque fide factum, vt demonstraret, eodem illo signo, quo Syngraphas, actaque publica confirmare, communireque solebat, has pacis publicæ tabulas confirmauit, atque communiuit. Est enim Leonis III. Pontificis signum id quod in Apsidis hemicyclo legis GLORIA IN EXCELSIS

Leonis signum.

CELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS; moris quippe fuit antiquorum Patrum ex diuinis litteris excerptas voces familiares habere, ac omni in negotio vsurpare, quibus vel ad Deum excitaretur animus, vel officij moneretur sui, vel Dei nunquam obliuisci assuesceret, quod omnes ad hanc diem seruant Romani Pontifices. Ignatij sanctissimi martyris consuetum illud fuisse carmen ab [a] Areopagita Dionysio accepimus: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *meus amor crucifixus est*, & Ioannis Chrysostomi [b] illud fertur: Δόξασοι Κύριε ἕνεκα πάντων, *Gloria tibi Domine propter omnia*. Has inter se, & Deum nuncias voces, quasi sacras, sanctasque maiores habuerunt, & si quid ratum firmumque esse vellent, eo inscripto, subscriptoque signo, ita à se haberi declarabant. Cum Leo III. in conspectum Caroli Magni auxilium imploraturus veniisset, illa prima eius, vt Anastasius [c] ait, vox fuit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; nempe se summis licèt affectum iniurijs, nuncium pacis non bellorum, aut disidiorum adesse sanctissimè affirmauit. Præclara sanè vox, quæ vna Leonis vitæ totius præconium esse queat; neque enim tot aduersis exagitatus, & ad terram penitus afflictus animus ad tantam erigi magnitudinem potuisset, nisi veluti fundamento firmissimo adolescentiæ, ac vniuersæ vitæ sanctitate optimè

[a] *Diuin. Nomin. cap. 4.*

[b] *in eius Vit.*

[c] *in Leon. III.*

consti-

conſtitutus fuiſſet. Quo quidem facto quemadmodum anteactæ vitæ maiorem Leo ſplendorem attulit, ita Deus Opt. Max. vitæ eius, atque incolumitatis patrocinium ſic ſuſcepiſſe viſus eſt, vt reſtaurato oculorum lumine, reſtitutaque loquendi facultate, non tam ſacrilegas perduellionum manus redarguerit, quàm impium detexerit animum, quo aduerſus hominem innocentiſsimum falſas conflare accuſationes ſunt auſi. Itaque virum Deo gratum maiores adeò venerati ſunt, vt ad eius monumentum aram Deo (quem cultum antiquitus ijs tantùm, qui in Sanctorum numerum adſcriberentur, adhibere fas fuit) in ſacra Vaticana Petri Baſilica extruxerint, & cum ſanctitate paribus Leone I. II. & IV. vno in loco eum condi, colique voluerint, quod à Paſchale II. inſcriptus lapidi titulus hic docet.

Leo III. inter Sanctos.

SVB. HOC. ALTARE. SVNT. CORPORA
SS. LEONVM. I. II. III. ET. IIII. PONTIFICVM. ET. CONFESSORVM

Reliqua in hac tabula non minimam antiquitatis eccleſiaſticæ notitiam continent, pallia, loratæ tunicæ, veſtes litteratæ, geſticulationes digitorum, alia; quæ cum huius loci non tam propria, quàm aliarum veterum tabularum communia videantur, ad libros, quos de eodem argumento ſcribimus, reijci nunc à nobis, æqui bonique lector conſulat.

DE-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [72] - 54
PUBLIC DOMAIN

DEXTERÆ PARTIS APSIDIS MVSIVVM quid repræsentet. Cap. IX.

QVOD parte Apsidis dextera relucet musiuum recentioris quidem manus est imitatio, quæ tamen opus exprimit illud antiquum, quod Leo III. in conspectu olim posuerat. Id porro ante annos amplius septuaginta decidisse, ex eo conijcere mihi videor, quòd ille casus non Panuinij modò diligentiam anteuertit, sed etiam Angeli Massarelli curiosi antiquitatis indagatoris, qui siniſtræ partis imagine, ac inscriptionibus prouidè conseruatis, dexteræ huiusce, ne vestigia quidem nobis reliquit; vixit ille Iulio III. Pontifice, cui, & duobus eius successoribus Marcello II. & Paulo IV. fuit à secretis, eandemque operam Concilij Tridentini Patribus summa cum laude nauauit, ac demum Thelesinam rexit Ecclesiam. Sed qui eum anteceſſerunt Ecclesiasticæ antiquitatis curatores, laude illi quidem digniſsimi, hanc huius musiui partem suo tempore labantem exceperunt, optimaque fide delineandam curarunt.

Pars musiui supplcta.

Hoc



Hoc eius imaginis exemplum, quod vnicum nobis, ac toti poſteritati relinquebatur, Illuſtriſsimus Cardinalis BARBERINVS, non ſine diuino nutu, poſt diuturnam indagationem nactus eſt,

quòd

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [74] - 56
PUBLIC DOMAIN

quod lapis ab illo positus ita profitetur, ac monet.

FRANCISCVS
S. AGATHÆ. DIAC. CARDINALIS
BARBERINVS
TRICLINII. A. LEONE. III. ROM. PONT. CONSTRVCTI
A. LEONE. IV. SVCCESSORE
SEXAGESIMO. POST. ANNO. REPARATI
NOSTRA. TANDEM. ÆTATE. PENE. DIRVTI
PARTEM. HANC. ILLVSTRIOREM
IN. QVA
VTRAQVE. IMPERII. ROMANI. TRANSLATIO
REDDITAQVE. VRBI. PAX. PVBLICA. CONTINETVR
PARIETIBVS. HINC. INDE. SVFFVLSIT
CAMERÆ. MVSIVVM. RESTAVRAVIT
LABANSQVE. OLIM. DEXTERVM. APSIDIS. EMBLEMA
ANTIQVARIORVM. DILIGENTIA. COLORIBVS. EXCEPTVM
PENITVS. DEINDE. COLLAPSVM
AD. PRISCVM. EXEMPLVM
SVMMA. FIDE
EX. MVSIVO. RESTITVIT

Planè si quid minus vel studio antiquitatis, vel autoritate tanti Cardinalis fuisset, de singulari vetustatis monumento actum iam esset. Itaque publici operis memoriam, incredibili studio perquisitam, summa felicitate inuentam, in Vaticanam Bibliothecam inferri iussit, ne restaurati huius operis te-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [75] - 57
PUBLIC DOMAIN

ſtimonium, vel fides ab exteris, poſteriſque aliquando deſideraretur. Hanc minime pœnitendam Antiquarij operam contulerunt in eam Apſidis partem, quæ omnino defluxerat, reſtituendam. Leo autem Pontifex neſcio quid hiſtoriæ ſuperiorum temporum hoc loco repetiuit, & cum ſuo Pontificatu, rerumque ſuarum euentu commiſit; quòd vtraque reſpondere ſibi mutua quadam, cùm perſonarum, tùm negociorum ſimilitudine viderentur, ac proinde imagines, quæ ea referrent, è regione collocatas, eò faciliùs ex hiſtoriæ conuenientia comparari, atque luculentiùs intelligi alteram ex altera poſſe ſperauit. Geminæ quippe tabulæ ſunt, altera dextrorſum, ſiniſtrorſum altera collocata. Tres in vtraque tabula perſonæ; aliæ nituntur genibus, duo pro tribunali ſedent, Chriſtus videlicet parte dextera, ſiniſtra Petrus Apoſtolorum princeps; ſuus vtrique Pontifex hinc, inde Imperator ſubmittit genua; Chriſto Sylueſter, & Conſtantinus; Petro Leo, & Carolus. Horum pro ſua quiſque conditione ab illis ſumit inſignia; Imperatores vexilla; Pontificum alter ſinu claues, alter pallium accipit. Scilicet imaginum illarum autor ſic intelligi voluit: ab vtroque illo Imperatore Pontifices eos diuino nutu in dignitatem aſſertos; Leonemque III. ita à Carolo Magno in integrum eſſe reſtitutum, quemadmodum poſtliminio reuocatum

Dexteræ, & ſiniſtræ tabulæ per cõpartionem declaratio.

tum à Constantino Imperatore Syluestrum. Contrà, Imperatores, ijsdem Pontificibus, Imperium obtinuisse: Constantinum quidem, postquam à Syluestro salutari est fonte initiatus, in Imperio confirmatum, designatumque diuinitus Ecclesiæ Christianæ defensorem; Carolum verò secundùm Deum à Petro Apostolorum maximo, hoc est Ecclesia Romana, Cæsarem renunciatum, & vindicem cooptatum fuisse. Hæc videlicet illarum continet tabularum historia. Nimirum à consilio Leonis, nedum ab historiæ veritate longè is abit, qui, Syluestri Pontificis titulo iamdudum vetustate corrupto, vel ex vno illo clauium, quas gerit, inditio, argumentum accipere certissimum sibi videtur, vt in Syluestri imagine, non illum, sed Petrum intelligat. Nec animaduertit quantum in hac tabula prouidi autoris solertiam offendat, qui Petrum, quem in Apsidis loculamento clauium compotem inter Apostolos pinxerit, hic eundem, quasi Imperatore Constantino, in eam clauium possessionem missum ostendat. Hæc quidem ex ipsa tabula desumere licet. Sed aliunde intelligat, qui de hac Syluestri imagine aliter sentit, quàm absurdum Petro habitum imponat, quàm remotum ab eo tempore, quo traditas sibi à Christo Domino claues accepit, quàm alienum à dignitate, quàm ab autoritate abhorrens. Etenim qui Ecclesiasticæ habet anti-

Syluestri Papæ imago non Petri.

Apostoli nunquam planetati.

antiquitatis vel Græcæ, vel Romanæ qualemcunque peritiam, latere non poteſt, in priſcis maiorum iconibus non publicis tantùm, quas modo conſentaneo pingi conſueuiſſe dubium non eſt, ſed neque in priuatis reperiri vnquam poſſe, Petrum ſacra illa indutum penula, quam modò *Planetam*, modò *Caſulam* appellant. Quid verò de Apoſtolorum principe dico, quod de alio quocunque ordinis Apoſtolici viro comminiſci, nedum credere in vniuerſa illa prima, & proxima antiquitate poſſe inueniri, tam incredibile eſt, tam ineptum, quàm quod ineptiſsimum? Quid multa? Quid longius petita? in Leoniano hoc ipſo emblemate (quod in vetuſtioribus tabulis nuſquam repertum iri affirmare non dubito) Petrum videre eſt, *orario*, ſiue *mappa*, quod *Pallium* dicitur, amictum, idque grauiſsima de cauſa, quam ſtatim[a] explicabo. Atqui ſub eo Pallio non ne vides Apoſtolicam penulam à Leone depictam? Cur hic tandem Petro indumentum id negaſſet, quod in altera tabula conceſſiſſet, atque maiorum exemplo, receptoque ritu concedi poſſe intellexiſſet? Præſertim cum ibi quod præter hiſtoriam, vt dixi, ac præter dignitatem erat; hic ad rem, vt mox differam, facere maximè videretur, atque opportuniſsimum foret? Quotus verò quiſque eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ cenſor, ac rituum inſtitutor, qui primum ſummumque ſacrorum


[a] *Vide cap. ſeq.*

rum Antistitem, quem Areopagita Dionysius *Hierophantam* appellauit, vestibus induere, successorum, vel Ministrorum Hierarchiæ licere putet? atque ijs demum vestibus, quæ sacræ eo præsertim nomine habentur ac instituto, quia ad Hierophantæ indumentorum similitudinem factæ, & certo modo, rituque variatæ, eius successoribus, atque ministris Hierarchiæ, dignitatis ergo, accommodatæ sunt? Cæterùm in libris Ecclesiasticarum Antiquitatum id fusè probamus. Clauium insigne (id enim mouet, qui aliter sentit de Sylueſtri hac imagine) post Petrum Apostolum, omnibus concessit antiquitas Petri successoribus; præter hoc enim Leonis III. musiuum, & Victoris II. ac Alexandri identidem II. nomismata, quæ olim Alphonsus Ciaconus protulit; celeberrimum illud suppeditat à Card. Baronio editum, quod, ex vniuersa ecclesiastica tustate, si quidem vt eximius vir il probaretur, cui nè nihil haberem. de illo sententia

Pontifices clauigeri.







nummorum ve-
Leonis Magni,
le putauit, esse
compararem, pla
Quæ mea tamen
sit,[a] infra loco di-
cam

[a] *inf. c. 12*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [79] - 61
PUBLIC DOMAIN

cam opportuno. Cæterùm nullum tam ineptum coniectorem, aut ineruditum nomismatum interpretem esse arbitror, qui credat Petri potius dignitatem, quàm Pontificum Maximorum, & Ecclesiæ Romanæ præstantiam ijs nomismatum insignibus denotari; cum nihil referat, vtrum signorum inditijs, an verborum testimonijs id declarare malis. Infinita verò sunt Patrum testimonia, quibus Petri claues Romanis Pontificibus vindicantur. Ad rem modò est Theodori Studitæ illa Leonis III. æqualis sui, & altera Paschalis I. eius successoris compellatio, quæ Græcis vocibus Latinas horum nomismatum imagines declarat. Ἄκουε κλειδοῦχε τῆς οὐρανῶν βασιλείας, πέτρα τῆς πίστεως, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμηται ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, Πέτρος γὰρ σὺ τὴν Πέτρᾳ θρόνον κοσμῶν καὶ ὑπερέχων. *Audi clauiger Regni cœlorum, Petra fidei, super qua fundata est Ecclesia Catholica; Petrus enim tu es, qui Petri sedem ornas, & gubernas.* Τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, ὃ σὺ τὰς κλεῖς ἐδέξω παρὰ αὐτοῦ διὰ μέσου τοῦ τῆς Ἀποστόλων πρωτάτου, καὶ τῆς ἀμοιβαδὸν μέχρι τοῦ σοῦ παραμένης τὴν ἱερωτάτην σου κεφαλήν. *Christi Euangelium, cuius claues ab eodem Christo tu accepisti per Apostolorum Antistitem, & per eos, qui succesiuè, ad tuum vsque Antecessorem, sacratissimum tuum caput præcesserunt.* & de Romana Ecclesia idem pronunciauit: Κορυφαῖος θρόνος, ἐν ᾧ ὁ Χριστὸς ἔθηκε τὰς κλεῖς τῆς πίστεως. *Primaria sedes, in qua Christus Dominus posuit claues fidei.* Sed de his alibi opportunior locus erit, ac plenior disputatio. Nunc autem factum Pontificis cum Pontificis facto comparemus, & hanc Leonis

Theodor. Stud. in epist. ad Leon. iij.

Idem ad Pasch. I.

Ibidem.

tabu-

tabulam, cum Simplicij hac inscriptione committamus, quæ in foribus Basilicæ antiquæ Vaticanæ legebatur.

QVI. REGNI. CLAVES. ET. CVRAM. TRADIT. OVILIS
QVI. COELI. TERRÆQVE. PETRO. COMMISIT. AVENAS
VT. RESERET. CLAVSIS. VT. SOLVAT. VINCLA. LIGATIS
SIMPLICIO. NVNC. IPSE. DEDIT. SACRA. IVRA. TENERE.

Illud non minimam hic mouet admirationem, quòd Leo Constantinum Imperatorem, quasi sua ætate superstitem, quadrato illo vt vocant *diademate*, modò id appellare sic liceat, insigniuerit. Enim verò ex Ioannis [a] Diaconi sententia vulgò passim illud insigne sic accipitur, *vt viuentis*, quemadmodum ille loquitur, *sit inditium*. Quare non temerè antiquitatis ecclesiasticæ periti, clarorum virorum ætatis, ac vitæ argumenta inde desumere videntur. Verùm id tutè cautèque faciendum ego quidem semper existimaui, & Leonis III. hoc factum impensè monet. Nam si penitius rem libet inspicere, non tam prisci ritus rationem Ioannes Diaconus perpendit, quàm vsum, qui vt plurimum in tabulis extaret, & ad quem illud insigne frequentius, ac penè quotidie vsurparetur, exposuit. Nos paucis perpendamus. Cedò priscam mihi tabulam priuati hominis, vel feminæ ijs ornatam insignibus; vnam cedò, aut alteram. Nec priuati hominis dico, quales ex triuio sunt, & ex infima plebe,

Constantini Imp. imago.

[a] *in Vit. Greg. M. lib. 4. c. 84*

Quadratum insigne quid significet.

Vulgi opinio expenditur.

quibus

quibus nemo, ne ſibi quidem ipſi ponunt imagines; ſed primariæ nobilitatis, Equeſtris ordinis, Senatores, Patricios; & ex feminis da Lucinarum aliquam, da Bleſillas, Paulas, eas, quæ ſua in Pontifices Romanos largitate, in Clerum munificentia huiuſcemodi imaginum monumenta ſint promeritæ. Horum quidem effigies reperire haud erit difficile, ita tamen inſignitas, vt quæritur, nullam penitus inueniemus. Nec enim ille quibuſcunque adhibebatur ornatus, ſed ijs modò (ſi priſcas tabulas obſeruamus) qui cum dignitate eſſent, ac imperio; Pontificibus Maximis, Epiſcopis, nonnunquam Monachorum Præſulibus, Imperatoribus, ac Regibus, qui cum poteſtate populis præeſſent. Tametſi non imperij, vel dignitatis inſigne id fuit, veluti Principibus coronæ ſunt, & ſacrorum Antiſtitibus infulæ, vel tiaræ; ſed teſſera vitæ, ac morum, qui eos, gradumq. eorum maximè deceret. Decere autem τὸν ἄρχοντα τελείαν ἔχειν τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν *eum, qui alijs imperat, perfectam habere moralem virtutem*, noſtri quidem omnes ſenſere; [a] Ariſtoteles verò etiam demonſtrauit. Cæterùm virtutem ferè vniuerſam in quatuor veluti cardinibus verti omnes conſentiunt, quos verò prudentes, fortes, iuſtos, ac temperantes eſſe conſtat, eos τετραγώνους *quadratos* tum exteri, tum noſtri ſapientes nuncupauerunt; [b] Methodius Martyr, qui χρῆσθε, νόῳτε τετραγώνοις, *actione vitæ, & conſilio quadratos* dixit; [c] Alexandrinus Clemens;

Autoris ſententia.

[a] *Polit. lib. 1.*

[b] *lib. de Virgin.*

[c] *libris Strom.*

Clemens, qui de hoc fusè, multisque disputauit; [a] Origenes Adamantius, qui Arcæ ligna quadrata de christianis sapientibus accepit; [b] Ambrosius Mediolanensis Antistes, qui Origenis sententiam est secutus; Gregorius [c] Nyssenus, qui hunc de quadrato homine christiano locum, cùm Moysis vitam enarraret, luculenter tractauit; denique Augustinus [d], eiusque adstipulator Gregorius [e] Magnus: *Illum qui,* vt ipse ait, *quadrari negligeret, indignum planè putauit, qui christiano nomine censeretur. Christianus,* inquit, *in omni tentatione sua non cadit; nam quadratum lapidem quacunque verteris, stat; sic ergo quadramini ad omnes tentationes parati.* Ergo populo christiano Præfectis, quos quædam instituti, atque consuetudinis perfecta ratio deceret ad benè, beatèque viuendum, illud affigere symbolum maiores, hac potissimum de causa, consueuerant; ecclesiasticis quidem passim, ac frequentissimè, non item laicis Principibus: quibus, qui ante Leonem III. id attribuerit, autorem, quem proferam, habeo neminem. Quamobrem Ingobertus in præclara, omnibusque ornamentis instructa Caroli Magni tabula, quam infra tertiodecimo capite opportuno loco proferam, à quadrato quidem insigni, vtpotè proprio Sacerdotum, vt in *Ecclesiasticis* nostris docemus, abstinuit; illum autem virtutum quaternionem, vel πρακτὸν, vt ipse nominauit, Iustitiam, Prudentiam,

[a] *hom. 1. in Gen.*
[b] *lib. de Noe, & arca.*
[c] *libr. de Vit. perf.*
[d] *in Psal. 86.*
[e] *in Ezec. hom. 11.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [83] - 65
PUBLIC DOMAIN

Fortitudinem, ac Temperantiam, expressis singularum imaginibus, Carolo Regi ad caput apposuit, subscriptoque carmine cur eæ potissimum imagunculæ adpictæ forent, quidve maximè referrent, declarauit.

Rex cœli Dominus solita pietate redundans
Hunc Carolum Regem terræ dilexit herilem.
Tanti ergo officij vt compos valuisset haberi,
Tetracty impleuit Virtutum quatuor alma.
Imminet hæc capiti de vertice cuncta refundens,
Denique se primum, tunc omnia ritè gubernat
Prudenter, Iustè, Moderatè, Fortiter atque.

Cum igitur quadratum illud insigne non tam superstitis vitæ, quàm perfectæ, atque omnibus numeris absolutę argumentum, & inditium esset, minimè mirum videri debet, si id Leo tribuit Constantino Imperatori aptè ad dignitatem, aptè ad eam, quæ dignitati conueniret, morum, vitæq. perfectio. Quin & cautè Leonem id feciſſe videre mihi videor, cùm Ecclesia Romana, ac omnes Occidentis populi ab illa de Constantini vitæ sanctitate sententia semper abstinuerint, quæ Orientalibus olim arrisit. Nec interest, quòd apud Siculos Constantini Templum aliquando fuerit, cum à Græcis positum id esse constet. Neque etiam, quòd vna, aut altera Constantini imago Romæ orbiculari diademate, & sanctitatis titulo insignis reperta sit: nam

Constantini quadratum insigne.

Impe-

Imperatorum, Regumque eam fuisse consuetudinem demonstrauimus, vbi ad Ἀνέκδοτα Procopij, Iustiniani sanctimoniam ijs confirmari argumentis minime posse ostendimus. Nam non modò *Sanctum*, sed & *Sanctissimum*, & *Diuinissimum*, & *nostra Diuinitas*, *nostrum Numen*, & quid non vsurparunt olim Imperatores? Orbiculari autem figura ornatæ extant etiam num Romæ Salomonis imagines in Sacello sancti Syluestri ad sanctorum Quatuor Coronatorum ædem; eum verò in Ecclesia christiana honore, qui sanctis debetur, cultum fuisse quis dicat? Vides denique in vtraque hac tabula dignitatis ecclesiasticæ modum, formamque, ad præscipta Canonum, seruatam; vt honestiore loco sint Pontifices, secundum ab ijs gradum teneant Imperatores. Quem sanè modum inde ab Apostolorum temporibus definitum esse, qui eos audiuit Ignatius Martyr sanctissimus testatum reliquit: Τίμα, φησιν, τὸν Θεὸν, καὶ Βασιλέα. Ἐγὼ δέ φημι τίμα μὲν τὸν Θεὸν ὡς ἄπιον τῶν ὅλων καὶ κύριον, Ἐπίσκοπον δὲ ὡς ἀρχιερέα Θεοῦ εἰκόνα φοροῦντα, κατὰ μὲν τὸ ἄρχειν, Θεοῦ, κατὰ δὲ τὸ ἱερατεύειν, Χριστοῦ. Μετὰ δὲ τοῦτον τιμᾶν χρὴ καὶ Βασιλέα. *Honora, inquit, Deum & Regem. Ego verò dico, Honora Deum, vt omnium autorem, & Dominum; Episcopum verò, vt principem Sacerdotum imaginem Dei ferentem; Dei quidem, propter principatum, Christi verò, propter sacerdotium. Post eum verò honorare oportet, & Regem.* Cum verò duplex sit prisca loci constituendi ratio ecclesiastica, vt alibi disputaui-

Ecclesiasticorum prælatio.

Diuersa Prælationis ratio.

mus, Leo III. non quæ paſsim in antiquis cernitur imaginibus, & Hæreticis de Petri, Paulique dignitate dubitandi occaſio fuit; ſed Romanam retinuit, quam ipſe vt cum maximè obſeruauit, non ſolùm hic in vtriuſque Imperij tabulis, ac in teſtudine Cameræ, vbi Petrus alieno quàm in vetuſtis muſiuis ſtat loco; ſed etiam in alijs Eccleſiarum iconibus, quas eum poſuiſſe nouimus. In æde ſanctæ Suſannæ ita ſanctorum vultus effigieſque collocauit; medium, *Chriſtum Dominum*; Dexteros, *Virginem Matrem, Petrum Apoſtolum, Suſannam Virginem, ſe ipſe*; Siniſtros, *ſanctum Paulum Apoſtolum, Caium Papam, Gabinum Presbyterum, Carolum Magnum*. Quæ locorum diſponendorum ratio, licèt à nonnullis etiam Romanis Pontificibus ſeruata ſit, alteram tamen illam frequentiorem fuiſſe, & antiquiorem, in ijs libris demonſtramus, quos *de Eccleſiaſtica Prælatione* conſcripſimus. Eam interim rationem (dum ij limantur libri) hoc in lapide contemplare;



qui

qui eadem illa Leonis ætate Ticini in Basilica sancti Michaelis à Longobardorum Regibus cœlatus est, ad eam planè actionis, atque negotij similitudinem, ad quam hæ ambæ depictæ sunt à Leone tabulæ; vt hic tempora, ingenium, consuetudinemque facilè comparare possis: & ex inscriptione lapidis titulum nostræ huiusce tabulæ, qui exceptoris incuria deperijt, conijcere, ac propemodum supplere queas.

SINISTRÆ PARTIS MVSIVVM Quid denotet. Cap. X.

DE Imperio Romano à Græcis ad Gallos, Leonis III. Pontificis Max. autoritate, translato, tam explorata, tam grauia veterum habentur apud virum clarissimum Cardinalem Bellarminum [a] testimonia, vt in rem tanti momenti, ad eludendam Hæreticorum pertinaciam, neque esse, neque desiderari maiora queant. Hic autem en tibi rem publico testatam monumento; quod vnum, si omnia, quæ eximius vir ille in medium adduxit, desideraremus, instar omnium esse possit.

[a] *lib. 1. de Transl. Imp.*

Imperij translati monumentum.

Id,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [87] - 69
PUBLIC DOMAIN



Cóſilium monumẽtl ſtatuendi:

Id, vt præfatus ſum, plerique ante nos viri grauiſsimi non otiosè ſunt contemplati; ex quibus Marcus VVelſerus cum abhinc annos fermè quadraginta Romæ, ſapientum olim hominum more, peregrinaretur

retur, ita oculis, ac animo id perlustrare solebat, vt exemplum summa diligentia, ac fide sibi describendum curauerit, doctisque viris passim eius videndi copiam fecerit. Vidit, præter alios, Iacobus Gretserus: Qui, *Romæ*, ait, *in Aula Leoniana extat ex opere vermiculato imago sancti Petri Pallium tribuens Leoni III. Pontifici, & Imperium Carolo Magno: Sedet sanctus Petrus in solio, dextra dat Leoni Orarium, sinistra porrigit vexillum Carolo genibus flexo, insigne Imperij. Ipse quoque sanctus Petrus Orarium habet. Has imagines bona fide ex archetypo expressas vidimus beneficio Marci Velseri Huiri Augustani.* lib. 2. de Cruc. cap. 39. Quamquam verò dubium non est, Caroli Magni simulachrum à Leone, more maiorum, illatum fuisse in Basilicam Iuliam, *labratis* Cæsarum imaginibus, quæ quondam in Prouincias mittebantur, destinatam; hoc tamen in Triclinio eius fortasis collocatæ causam Leo indicandam curauit. Nam videtur nescio quid arcani hæc tabula continere; in qua Carolum genu submittentem vides, Leonem duplici insignem pallio, Petrum Apostolum rei nescio cuius autorem, & pro tribunali sedentem arbitrum, ac vindicem; Inscriptiones demum, ac titulos plures, atque tanti negotij velut interpretes. Quæ singula vt explicatius euoluamus, res ipsa cum primis requirere videtur. Qui Leonis III. casum memoria tenet, videt planè hic eius restitutionem, Carolumque Imperatorem inauguratum,

Eccle-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [89] - 71
PUBLIC DOMAIN

Eccleſiæ autem Romanæ in vtraque re autoritatem, ſuis vt aiunt, coloribus delineari. Etenim reſtitutionem Leo ſuam, & Sylueſtri Pontificis diuerſis quidem ſignis, non alienis tamen à Romanorum Pontificum, & Petri ſucceſſorum præſtantia, *clauibus*, *pallioque* denotauit. Quæ ſiquidem poteſtas argumento clauium antiquitus intelligebatur, hæc poſterioribus deinde ſeculis *pallij* quoque agnoſcebatur veluti expreſſa, propriaque imagine. Certè *pallium*, Leonis ætate, ad Petri Apoſtolorum Principis dignitatem, quæ eadem Pontificis Maximi eſt, ſignificandam, adeo fuit accommodatum inſigne, vt Monachis, cùm ex præſcripto legum cœnobicarum ſilentij religione tenebantur, ſi fortè Petrus commemorandus ſilentiò fuiſſet, *pallij* ſigno, ac geſticulatione ijs legibus ita exprimebatur. *Pro ſigno ſancti Petri*, Lex ait, *manum dexteram ab humero dextero deorſum vſque in finem pectoris trahe, eo modo de ſiniſtro ad dexterum, propter ſimilitudinem pallij, addens hoc, vt manu caua coronam in capite ſimules*. Nimirum æquè appoſitum *pallij* fuit inditium ad Petrum Apoſtolorum anteſignanum indigitandum, ac *tonſuræ* ſignum, quàm à Petro in vniuerſum Clerum manaſſe nemo neſcit. Hinc ritus ille patrum vetuſtiſsimus, vt licèt in Pontificum Maximorum litteris, inde à Leonis III. tempore, vna Petri, Paulique dignitas, poteſtas, autoritaſque celebretur; Pallia

Reſtitutio Leonis III.

Pallij ſignificatio.

lib. Reg. Monach. ex Bibl. Palat.

tamen

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [90] - 72
PUBLIC DOMAIN

tamen quæ primarijs dabantur Prouinciarum Antistitibus, *de Principis Apostolorum corpore* duntaxat, non de Pauli collegæ monumento sumerentur; quò illa, quam Pallium denotat, plena potestas, ex vno Petro, quasi suo fonte, in alios deriuari intelligeretur. Quamobrem ne religionis tantùm, ac pietatis ergò Pallia *de corpore sancti Petri* desumi crederentur, Gregorius Magnus tum Leandro Antistiti, tum alijs, *de beati Petri Apostoli Sede*, hoc est, Ecclesia Romana, Pallia transmittere se profitetur. Hoc ergo apprimè conuenienti, aptoque Pallij argumento in Petri sedem restitutum se Leo declarauit; atque ita restitutum, vt altero, quo, Pontificum ritu, amictus est pallio, nunquam sua se Ecclesia eiectum, priuatumque fuisse probet. Caroli verò consecrationem non ex solemnibus cæremonijs, quæ in angusta tabula ob oculos poni haud facilè poterant, sed è vexillo, & imperatorio paludamento, coronaque indicauit. Religiones tamen illas, quibus initiatus est Carolus Imperator, luculentiùs quàm quisquam Latinus scriptor æqualis memoriæ commendauit [a] Theophanes, qui à Leone Papa Carolum affirmat oleo perunctum *à capite vsque ad pedes*, & ornatum *Imperatoria veste*, atque *corona*. Quæ quidem duo postrema insignia Imperij hæc etiam exhibet imago. Quod verò ait Carolum tam profusè, splendidèque delibutum, græco eius ætatis loquendi genere ritum

Duplex Leonis pallium.

Caroli inauguratio.

[a] *in Chron.*

Vnctio.

significauit, qui Græcis non eadem, atque Romanis ratione vsurpabatur. Illi, caput solummodò, Romani, suis Imperatoribus etiam brachia, humeros, scapulas, & quidquid sedes virium, ac roboris esse videtur, sacris oblinire vnguentis consueuerunt. Nisi fortè vberiorem, quàm hodie sit, Leo ritum olim habuerit; vel Gallorum, vt reor, consuetudine cumulauerit, qui præterea pectus, & tergum, & manuum volas, & brachiorum suffragines suis Regibus, inde à Clodouæi tempore, deliniunt. Græculus schismaticus Theophanis sententiam, consuetudinemque Latinam minimè assecutus, nescio quid in facto Leonis, Romanoque ritu hebraicæ superstitionis ridere videtur.

Constant. Manass. in Chron.

. . . . . τὸν Κάρηλον ὁ Λέων
Ἀναχορεύῃ Κεφάτορα τῆς παλαιτέρας Ρώμης,
Καὶ σέφος ᾧ ἐτίθησιν ὡς οἱ ῥωμαίων νόμοι.
Οὐ μὴν ἀλλὰ χρισάμενος καὶ νόμοις Ιουδαίων,
Ἐκ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τὸν χρίῃ.
Οὐκ οἶδα τίσι λογισμοῖς, ἢ ποίαις ὀπυίαις.

Tum verò Carolum Leo Romæ veteris Imperatorem renunciat; neque tantùm corona caput eius, more Romano, cingit; verùm etiam legibus Iudæorum vsus, à capite ad pedes oleo totum perungit. Quod quibus ex causis, ac rationibus factum fuerit, equidem scire nequeo. Quasi verò vsum Reges oleo perfundendi Græci ex profana aliqua palæstra, non è sacris Hebræorum, ac Samueli à Deo traditis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [92] - 74
PUBLIC DOMAIN

tis cæremonijs acceperint. Non ne videt Græcos, vt Codinus Georgius asseuerat, solemnem illam, ad Imperatorum vnctionem, vsurpasse, terque geminasse acclamationem Ἅγιος, *Sanctus*; &, quemadmodum olim Hebræi, Reges *Vnctos*, & *Christos* vocauere, sic à gentilibus suis Cæsares *Sanctos* nominari; quin & orbiculari diademate donari, quod Sanctis more maiorum impertimur? Quorum alterum, prorsus deuitauit Romana modestia. Diadema, verò, vel omninò Cæsaribus negauit, vel, quod Leonem in hac tabula feciisse videmus, quadratum concesit. Carolum, dum iniret imperium, sacro perfusum vnguento à Leone III. Claudius Rangolius ea ratione negauit, quòd, vt Gallorum Reges solent, delibutus iam antea fuisset, quòdque de eo nihil Eginhartus, nihil Annalium Francorum Autor meminerint. At Theophanis illam narrationem non modò sua probauit versione Bibliothecarius, sed ea etiam, quam de Pontificibus edidit historia. Ludouicus verò II. Caroli pronepos suo magis magisque testimonio confirmauit: *Francorum*, inquit, *Principes primo Reges, deinde Imperatores dicti sunt, ij duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt; in qua etiam Carolus Magnus abauus noster vnctione eiusmodi per Summum Pontificem delibutus, primus ex gente, & genealogia nostra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus, & Christus Domini factus est.* Ad reliqua

in lib. eff. Pal.

ad t. lib. Reg. c. 9.

in Leon. III.

in epist. ad Basil. Imp.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [93] - 75
PUBLIC DOMAIN

quæ tum ſolemni peracta cum cæremonia ſunt, addit Autor illorum temporum æqualis *à Leone Pontifice, poſt laudes dictas, Carolum, more antiquorum Principum, adoratum fuiſſe*; idemque carmine Poëta memorauit, qui Arnolpho Imperatore floruit:

Auter Annal. Franc.

Adoratio.

Poſt laudes, igitur dictas, & Summus eundem
Præſul adorauit, ſicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis.

Hic porro ille Regum adorandorum mos eſt, quem Samuel, autore Deo, primus inuexit, & poſteris imitandum reliquit; nam primum Hebræorum Regem conſtituturus *Tulit lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum*. Ita planè Leo Carolum Cæſarem, vt ij Autores autumant, *adorauit*. Qui enim *adorare*, idem eſſe quod *deoſculari*, ſeu libato oſculo ſalutare, non intelligit, is enim verò græcæ, latinæque omnis eruditionis rudis ſit oportet; quem vel illa inerudita Caroli Magni ætas (ne longiùs abeamus) docere id poſsit. Siquidem Taraſius Patriarcha Conſtantino, & Irenæ Imperatoribus ita προσκυνῆν ex ipſa vocis notatione eſt interpretatus; ita Albinus Flaccus Anaſtaſij illud de Carolo, & Leone, *pariter ſe amplectentes cum lacrymis ſe oſculati ſunt*, carmine extulit:

lib. 1. Reg. cap. 9.

in epiſt. ad Impp.

In Leon. III.

In Carm. de Leon.

Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum, & placida oſcula libans.

Imperatoris autem adorandi, ſalutandiq. non vnus modus

modus, Procopio teſte, vel dignitas fuit. Pectus, Patricij, hoc eſt Cæſaris, ſeu Reipublicæ patres; cæteri manus, pedes pro dignitate deoſculabantur. Auguſti ora, faciemque oſculo proſequendi facultatem, libertatemque non vnus habuit Pontifex Maximus, ſed quiuis ſacrorum Antiſtes. Ambroſius enim Mediolanenſis Epiſcopus Maximi ad oſculum aſſurgentis oſculum reſpuit, quòd ab eo, præter Epiſcopi dignitatem, in Prætorio, & inter *Conſiſtorianos* audiretur. *Quid*, ait, *oſcularis eum, quem non agnoueris? ſi enim me agnouiſſes, non hoc loco audires*. Hæc in ijs de *Eccleſiaſtica Prælatione* libris vberiùs diſputamus. Igitur cum totam illam rituum celebritatem, ac inaugurandi Cæſaris pompam huius, vt dixi, tabulæ anguſtiæ minimè caperent, Leo rei totius veluti ſummam fecit, eamque ſubſcripta acclamatione, qua Carolum à Senatu Populoque Romano renunciari Cæſarem iuſsit, denotandam curauit. Conceptis illis verbis, vocibuſq. ſolemnibus perſonare adhuc hiſtorias audimus: *Carolo pijßimo Auguſto, à Deo coronato, magno, pacifico, Imperatori Romanorum vita, & victoria*. Quamquam ijs populi plauſibus Leoni Pontifici Maximo tantæ rei autori acclamatum, atque eundem & Carolum Petro Apoſtolo, in cuius templo ea peracta ſunt, deuotos publicè fuiſſe, & veroſimile eſt, & inſcriptio perſpicuè teſtatur:

In Vita Iuſtin.

5. lib. ep. 27.

Populi acclamationes.

Autor Annal. Franc. Anaſt. in Leon. III.

BEA-

BEATE. PETRE. DONA
VITAM. LEONI. PP. ET. BICTO-
RIAM. CARVLO. REGI. DONA

Autoritas reſtituendi Leonẽ, & inaugurandi Carolum.

Reſtat huius emblematis tertia pars, atque illa quidem præcipua, ex qua nimirum, & reſtituendi Leonis, & inaugurandi Caroli Auguſti intelligas autorẽm. Quis neſciat Caroli Magni opera Leonem III. ad priſtinum gradum fuiſſe reuocatum? Cui nam ex recentioribus Hæreticis facilè perſuaſeris Imperij Romani dignitatem non ex Senatus conſulto, vel Populi, Plebiſque ſcito decretam Carolo fuiſſe? Hic tamen Petrus ſedet ſuæ vtrique autor amplitudinis, & gradus, alteri pallium, alteri vexillum tradens. Tradere quidem autoritate ſua facile videri poterat, qui ita pro tribunali ſedet; verùm vt id expreſsiùs denotaretur, tabulæ magiſter addidit autoritatis inſignia, palliumque ab humero ſuſpendit, & claues in ſinu repoſuit. Hiſce vtraque poteſtas, notata quomodo ſit, paucis iam explico. Sed ante alia non vt in ſcenicis machinis Petrum è cœlo delapſum hic tam vario ſymbolorum apparatu introduci à Leone credere fas eſt, cum illa non tam Petri effigies, quàm ſimulachrum, & quod vocant Hieroglyphicum Eccleſiæ Romanæ ſit, quæ nullo aut pingi aptiùs, aut exprimi luculentiùs, quàm Petri Apoſtoli ſigno queat. Familiare id, & alijs Pontificibus fuit. An-

te Leo-

te Leonem Stephanus III. suo, & Ecclesiæ Romanæ nomine Pipinum Romanorum Patricium contra Longobardos in Italiam euocaturus, Petrum Apostolum in concionem inducit, qui ea omnia faciat, dicatque, quæ ipse Pontifex in eam rem coram disseruisset. Nam Vrbis periculum Petrus narrat, eius defendendæ curam à Pipino susceptam memorat, ni periclitanti Ecclesiæ præsto sit minas intentat, denique sibi, & Stephano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ causam esse communem dicit tota illa oratione, vt statim epigrapha declarat: *Petrus vocatus Apostolus à Iesu Christo, & per me omnis Dei Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, atque eiusdem almæ Ecclesiæ Stephanus Præsul, Gratia, pax, & virtus ad eruendam eandem sanctam Dei Ecclesiam, & eius Romanum populum mihi commissum de manibus persequentium, plenius ministretur à Domino nostro vobis viris Excellentissimis Pipino, Carolo, & Carolomanno tribus Regibus, &c.* Ad eum planè modum Leo hic Petrum inducit. Ac ne de Ecclesiæ Romanæ, sub eo symbolo repræsentandæ consilio quicquam dubitaretur, certum id Leo fecit nouo illo, & planè inusitato vestium apparatu. Nam *pallium*, hoc est sacrum illud amiculum crucibus insigne consuetis Petri vestibus iniecit; quod & maiorum consuetudini, & sacris, vt supra disserui, religionibus minime consentaneum est, si Petri personam, dignitatemque spectemus; valde verò con-

apud Bar. Ann. 755.

Petrus hieroglyphicũ Eccles. Rom.

Cur Petro pallium?

rò conſentaneum, ſi Eccleſiæ Romanæ id eſſe intelligas ſimulachrum, & concinnandorum rationem ſymbolorum perpendas, in quibus vel diſparia diſſentaneaque coniungi ſolent in vnam rei arcanæ ſignificationem. Itaque Petri imago, Apoſtolorum more, interius quidem tunicata, exterius verò penulata eſt; contra quam eius exempla (quod non eſt diſsimulandum) Franciſcus Penia, & Angelus Maſſarellus, viri antiquitatis eccleſiaſticæ conſulti, nobis exhibuerunt; qui Petrum tunicatum ſolummodò proponunt. Fucum vtrique fortaſſe fecit vnus idemque ille albus tunicæ, penulæque color, qui, quaſi per huius tabulæ denſam vetuſtatis caliginem, magis magiſque perſtringit oculos. Rubra tamen tunicæ lora, penulæque rubra littera ſic albis internitent lapillis, vt antiquitatis peritos illa veſtium differentia latere minime potuerit, imo ſuis quamque inſignibus diſtinguere ſpectanti cuique licuerit; vt enim tunica litterata, ita lorata penula eſſe nequit. Egent ſanè veteres imagines pleniſsimo lumine, vt commodè probèq. perſpiciantur, id eſt antiquitatis eccleſiaſticæ varia, multiplicique notitia, & hiſtoria; quibus ſi careas, allucineris neceſſe eſt, vt qui tabulas neque in ſuo, neque in bono lumine contemplantur. Propoſuit igitur Leo penulatam, tunicatamque imaginem, & vtroque amictu, ad Apoſtolorum conſuetudinem,

nem, albatam, vt Petrum ostenderet; *pallio* autem, hoc est, sacro illo humerorum redimiculo amiciuit, vt in Petro, Romanam Ecclesiam intelligendam esse moneremur. Nam præterquàm quòd *pallij* deferendi, alijsque impartiendi potestas penes Romanam Ecclesiam, Pontifices inquam Maximos tantùm est; præterea nemo sacrum illud indumentum Antistiti Romano, dum initiatur (nimirum nec dum restituitur) imponere potest, nisi qui deferendi pallij facultatem habeat, quam in eum finem Ostiensi Episcopo à Marco Papa factam olim accepimus. Quemadmodum autem vnus Ecclesiasticorum ordo legitimum, summumque Antistitis creandi ius habet, ita & electi restituendi integram potestatem. Et si enim Carolus dum Leo in suum gradum reuocabatur, nefariorum hominum turbas compescuit, peruicaciamque superauit, Cleri tamen Romani calculo, sententiaque Leo in suam est dignitatem assertus. *Amplectens*, inquit Anastasius, *præfatus Venerabilis Pontifex* (Leo III.) *sancta Christi quatuor Euangelia, coram omnibus ascendit in ambonem, & sub iureiurando clara voce dixit. Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco: Et hoc peracto omnes Archiepiscopi, & Abbates, & cuncti Clerici litania facta, laudes dederunt Deo, atque Dei Genitrici semperque Virgini Mariæ Dominæ nostræ; & beato Petro*

Anast. in Marc. Papa. Ius restituendi Pontifices.

In Leon. III.

Apoſtolorum Principi, omnibusque Sanctis Dei. Nam ijs laudibus, quas *Litanias* vocat Anaſtaſius, repetito ad ſingula Sanctorum nomina intercalari illo carmine, *Tu illum adiuua*, Pontificis redintegratio, ſeu reſtitutio, more maiorum, non ſecus ac electio cumulari conſueuerat. Nam cum Reſtitutio quædam ſit Electionis inſtauratio, non magis ritibus ijſdem, atque religionibus celebrabatur, quàm eorum calculo, & autoritate, penes quos eſſet Electio. Quod & in Symmachi Papæ reſtitutione factitatum nar-

[a] *In Symmacho.* rat [a] Bibliothecarius. *Beatus*, inquit, *Symmachus congregauit Epiſcopos centum & quindecim, & facta Synodo, purgatur à crimine falſo, &c. Tunc ab omnibus Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconibus, & omni Clero, vel plebe redintegratur Sedi Apoſtolicæ Symmachus, vt cum gloria apud beatum Petrum ſederet Præſul.* Non ergo ſua Carolus autoritate Leonem reſtituit. Sed cum diuino planè nutu hæc ſuperſit priſcorum imago temporum, ac tum geſtorum ſimplex veraque hiſtoria, eam contem-

[b] *Goldaſt Ration. Conſtit. Imp. Morn. Hiſtor. Pap.* plentur, [b] qui ementitam, ac prorſus vmbratilem ſynodum in medium proferunt, in qua Pontificum electionem, Romanæq. Sedis ordinationem Adrianus I. Carolo permiſiſſe dicitur. Neque enim hic Carolum deprehendent pro tribunali iura Eccleſiaſticis dantem, gradum, ſedemque Leoni decernentem: quin ex hac tabula illius ſynodi detegent impoſturam. *Ab Adriano Pontifice ius illud Carolo Auguſto*

gusto concessum affirmatur. Scilicet Adrianus Carolo Episcoporum ordinationes tum concessisset, cum easdem ab Orientis Imperatoribus (vt extremo capite dicam) in Calabria, Siciliaq. occupatas tam seuerè repetebat, vt eos, nisi parerent, sacris, templisq. prohibiturum se minaretur. Sed ex hac vna tabula modò sufficiat argumenta depromere. Ergo ab Adriano Pontifice ius illud Carolo Augusto concessum in Pseudosynodo affirmatur. *Carolo Augusto?* Quis nesciat longè post Adriani mortem eum Augustum fuisse salutatum? sed sit ita sanè. Quid subditur? *Augusto tum dignitatem Patriciatus collatam fuisse.* At Carolum iam Cæsarem non sumpsisse, sed vt par erat, deposuisse *Patricij* nomen à scriptoribus illius ætatis accepimus. *Ac deinde*, inquit Francorum Autor Annalium, & Ado Viennensis, *omisso Patricij nomine, Imperator & Augustus est appellatus.* Addit præterea commentitium illud Decretum; *Factam Carolo potestatem ordinandi Patriciatum.* Creandi Patricios fortasse dicere voluit, vt Goldastus interpretatur; si Carolo Imperatori facta ea facultas fuit: nugatorium planè fingis Imperatorem, qui ea pridem potestate caruerit: si Carolo Patricio; inauditum est in omni memoria Reipublicæ Romanæ, vt à solo Patricio Patricij constituerentur. Verùm impostor ille non solùm ignorare videtur quis ordo, quæ dignitas fuerit illa Patriciatus; sed etiam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [101] - 83
PUBLIC DOMAIN

qualem attulerit Carolo autoritatem cùm Romæ, tum in Italia; dequa re mox diſſeram. Quis verò Theodoricum Niemum, Melchiorem Goldaſtum, Philippum Mornæum, alioſque non miretur, qui has nugas tanti eſſe ponderis credunt? Verùm eſto, concedatur tanta Decreti illius indignitas, reſtituerit, ſi ita vis, Carolus Leonem ſuo iure, ſua autoritate, munuſque hoc ſuum obierit ſumma cum dignitate, maieſtateque. Quid verò? Tantæ dignitatis, tantæ autoritatis nullam Leo rationem habuit? nullum hac in imagine veſtigium expreſſit? Contrà verò atque oportebat omnia fecit; honeſtiorì ſe ipſe loco conſtituit, Carolo minus honeſtum reliquit; genibus eum niti voluit; in ſubſcriptis acclamationibus, illo poſthabito, primos ſibi ipſe plauſus aucupauit; in inſcriptione verò æquè ſibi, ac Carolo Dominij titulum inſcripſit, qui tanquam ſeruus Imperatoris, vt [a] Mornæus ait, Carolum poſt renunciationem adorauit. Siccine prima ſtatim occaſione obſeruatum Synodi ampliſsimum illud, ac honorificentiſsimum decretum? Vidit hæc Carolus præſens, & æquo animo tulit? Ergo ne ad caſſum priuilegium, ſuperatis Alpibus, Romam accurrit? Sed quid ego de Leone reſtituto Romanæ Eccleſiæ autoritate diſputo? Nonne Carolum Magnum eadem autoritate Cæſarem fuiſſe conſtitutum hæc loquitur imago? Accipit ille vexillum ab Ec-

[a] *Hiſtor. Pap.*

Autoritas creandi Imperatores.

ab Ecclesia Romana, vel si dicere mauis, à Petro; vtrumuis autem dixeris, res, vt exposui, redit eodem. Venerabundus genu flectit, tantò enim se gerit submissius, quantò superiorem agnoscit potestatem, ex qua Imperialis potentia in se deriuatur. Nimirum superiorem eam potestatem tergeminæ inditio clauis autor imaginis, quoad fieri potuit, luculentissimè declarauit. Maiores etenim nostri, qui, in tabulis, Petri potestatem vnius interdum clauis symbolo satis indicasse visi sunt sibi, eodem plerumque geminato symbolo, ligandi, soluendique ius, quod ea potestas complectitur, explicatiùs significauerunt; quo triplicato ius idem plenissimum, amplissimumque ternarij ratione denotari voluerunt. Iconum eiuscemodi pingendarum exemplum reddo ex Vaticano Codice manu descripto sexcentesimo nonagesimo nono, cuius antiquitatem membranarum, librique forma quadrata, quadrati apices testantur, ritus verò vetustatem Christiani, seu Christini græci Scriptoris testimonium, imo Græciæ vniuersæ consuetudo, quam ille secutus est, comprobat. Is verò Autor Imperatore Iustino seniore scripsit; eam scribendi amat varietatem, vt quidquid oratione disputat, id coloribus expressum legentibus ob oculos proponat; quare totus imaginum ille eius plenus est liber.

Tripli-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [103] - 85
PUBLIC DOMAIN



Triplici ergo claue cum ampliſsimam Petri poteſtatem maiores denotauerint, quid præter geminum illud ligandi, ſoluendique ius, vlterius innuerunt? Scilicet ſenſerunt poteſtatem illam, quæ ad continendam in offitio Chriſtianorum Rempublicam Petro conceſſa eſt, iure ſuo longè latèque manare, extendique, cum opus eſt, ad ciuilem

uilem quoque statum temperandum; qui tum optimè temperatus, ordinatusque putatur, cum nec latum quidem vngem à pietate discedit, qua vna, & vno animorum bono ciuile omne negotium metitur christiana religio. Tertia igitur clauis munus est illud, quod ex ligandi, atque soluendi iure consequitur, nempe secularia ad spiritualia dirigendi autoritas. Quamobrem aptissimè ad rem præsentem clauis Petro appingitur triplex, quippe qui suam illam potestatem conuerterit ad temperandum Imperium, quod, vt duobus postremis capitibus dicetur, ab auita pietate desciuerat, Ecclesiamque Romanam religionis Magistram, cui præsidio esse debuerat, armis, bonorumque spoliatione oppugnabat. Nonne vides vno hoc in emblemate quàm accuratè id Leo seruauerit, vt illius factum ad hanc sententiam eò faciliùs interpretere? In apsidis concha duplicem Petro in læua clauem dedit, scilicet potestatis indicem; hic verò triplicem, vbi ad eiusdem potestatis regulam Imperium dirigentem illum introducit. Hoc eodem modo Petri depictas imãgines sub Ottone Magno, cum à Ioanne XII. Pontifice Romano ad Germanos translatum est Imperium, testatur Ottonis II. in eodem Imperio primi successoris sepulchrum, cuius hoc musiuum

olim



olim ad introitum, [a] vt Ditmarus ait, *orientalis Paradiſi*, hoc eſt atrij Templi Vaticani veteris extabat, noſque vidimus; hodie verò in crypta Confeſsionis ſancti Petri integrum aſſeruatur. Nempe

[a] *Chron. lib. 3.*,

duo

duo illa huius tempestatis Hæreticorum placita vna Leonis III. tabula, quam modò explicauimus redarguit: Carolum eligendorum Pontificum, Apostolicæque Sedis ordinandæ ius habuisse, ac Imperium Romanum à Leone III. nequaquam accepisse. Sed vberius de hoc infra dicam.

INSCRIPTIO CAROLI IMAGINIS explicatur. Cap. XI.

RITVS solemnes, quibus est inauguratus Carolus Augustus, commodius quàm Leo III. in exigua tabula, scriptores exposuerunt; traditi verò ius Imperij æquè in historijs contineri videtur, atque in ea breuissima inscriptione:

D. N. CARVLO. REGI

Hanc enim detorquere ad Caroli Patricij Romanorum, Francorumque, & Longobardorum Regis dignitates non licet; quas ille partim Adriani Pontificis arbitrio iam dudum obtinuerat, partim generis successione à Pipino patre multos ante annos acceperat, partim armorum contentione longè ante Leonis Pontificatum acquisierat. Hæc verò tabula, nisi nos oculi fallunt, nuperam Caroli dignitatem refert, hoc est Leonianæ restitutionis, cui hoc in emblemate componitur & comparatur, prorsus

Inscriptionis scopus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [107] - 89
PUBLIC DOMAIN

prorsus æqualem. Res erit exploratior, si singulas inscriptionis partes perpendamus ad eas Caroli dignitates. Principiò quidem Regis nomen Patricio non quadrat, cum ad illud in Italia penitus abolendum, Patricij, vt statim demonstrabo, ab Imperatoribus fuerint designati. Tantum abest, vt [a] Franciſci Iunij, ac aliorum vera sit sententia, qui Romanorum Patricium, *Dominum*, seu *Regem* fuisse Romanorum commenti sunt; vel [b] Goldasti, qui Caroli Patriciatum Imperatoriæ Maiestati exæquauit. Nam de nostris taceo, qui non tam Caroli Patriciatus propria, quàm Patriciorum ordinis communia in medium proferunt. Omnes denique illam Caroli dignitatem quasi alio cœlo natam circumspiciunt, & alba an atra sit edicere non satis queunt. Sed erant olim, quod nemo nescit, in Republica Romana Patricij, qui cum reliquo Senatu æquo iure viuerent. Constantini verò Magni lege, si qua Zosimo [c] fides, proximi maiestati Cæsaris facti sunt, ac Senatoribus, Præfectisque Prætorio gradu, sententiaque in Senatu dicenda prælati. Quæ huius ordinis excellentia ad Iustiniani vsque dominationem (si Procopio [d] credimus) ac diu post integra perdurauit. Ab Iustiniani fermè tempore, nisi fortasse prius, quod quidem modò non succurrit, dignitati addita est præfectura prouinciarum. Qui eo carerent munere prouinciæ, ac in vrbe, &

Patricius non est Rex.

[a] *de Trãſſ. Imp. cont. Bellarm.*

[b] *in Apol. adu. Gretſer.*

Patriciorum dignitas.

[c] *lib. 2. hiſt.*

[d] *in Anec.*

Differentia.

Sena-

Senatu præsentes adessent, *Præsentales* Patricij, vt est apud [a] Cassiodorum vocabantur. Qui præfecturam gerebant, pro suarum quique prouinciarum more, ac lege nuncupari consueuerant, Proconsules Africæ, Italiæ Exarchi, Siciliæ Strategi, Prætores Orientis, & aliarum regionum Moderatores, Comites, Duces, Præfecti. Verùm cum eas nonnunquam præfecturas obirent, qui ex Patriciorum gradu non essent; Patricij, ne quid supremæ in Senatu dignitati suæ derogatum videretur, suarum titulis præfecturarum ordinis quoque nomen præponendum curarunt. Quare passim apud Gregorium Magnum, Nicephorum Constantinopolitanum, Theophanem Isaurum, Paulum Diaconum, aliosque ea nomenclaturæ forma occurrit: *Patricius* & Exarchus Italiæ, *Patricius* & Prætor Orientis, *Patricius* & Proconsul Africæ, *Patricius* & Strategus Siciliæ; cuiusmodi exemplum est illud: *Theophylactus Cubicularius, Patricius & Exarchus Italiæ*, apud Anastasium in Ioanne VI. *Scholasticus Cubicularius, Patricius & Exarchus Italiæ* apud eundem in Constantino, & apud [b] Paulum Diaconum. Sed demum (quæ est inanis hominum ambitio) neglecto Præfecturæ nomine licet honestissimo, Patricij solummodò prouinciarum dici maluerunt. Hinc in Imperio illa Præfectorum omnium similis eademque nomenclatio: Narses *Patricius in Italia* apud [c] Iustinianum,

[a] *Cassiod. Var. lib. 8. epist. 9.* Patricij Præfecti prouincijs.

[b] *de gest. Longobar. lib. 6. c. 11*

[c] *in Dipl. apud Cuiacium, & Vuelser.*

num, Salomon *Patricius Africæ* apud [a] Victorem Tunnensem, Priscus *Patricius Orientis* apud [b] Gregorium Magnum, Gennadius [c] *Patricius*, & Venantius [d] *Patricius* ab eodem salutantur, dissimulato nomine Africæ & Siciliæ, vbi hic Strategum, ille Proconsulem gerebat, Smaragdus *Patricius Rauennæ* apud Paulum [e] Diaconum, Daniel *Patricius de Sicilia* in Francorum [f] Annalibus, Michael *Patricius Phrygiæ* apud [g] Autorem aliorum Franciæ Annalium, Dynamius *Patricius Galliarum* apud [h] Gregorium Magnum inscribitur, quem Gregorius Turonensis Rectorem Massiliæ, & Prouinciæ nouit, [i] Arrigius *Patricius de Gallia*, & [k] Asclepiodotus *Patricius Gallorum* ab eodem Gregorio Magno vocantur Dynamij in eadem præfectura successores, apud [l] Paulum Diaconum Amalus, siue Amatus *Patricius Prouinciæ, qui Guntramo Francorum Regi parebat*. Ac ne aliarum ciuitatum, & prouinciarum infinitos numerem, Vrbanos memoro. Apud [m] eundem Diaconum Gregorius *Patricius Romanus* is dicitur, qui tum Dux etiam nominabatur, apud [n] Hericum Monachum Volusianus *Vrbis Patricius* hoc est Præses, & in veteri [o] lapide TERTVLLVS. DEI. GRATIA. ROMANÆ. VRBIS. PATRICIVS ideſt Præfectus: Autor lapidis more sui seculi loquitur; ille tamen Tertulli non est, cum vna huius, & illorum Cassinensium sit impostura Priuilegiorum, quæ [p] alibi explosimus.

[a] *in Chron.*
[b] *lib. 2. epist. 51.*
[c] *lib. 10. epist. 44.*
[d] *lib. 10. epist. 45.*
[e] *de gest. Long. lib. 4. cap. 8.*
[f] *ad ann. 799.*
[g] *apud Gretser. con. Iunium.*
[h] *lib. 2. epist. 33.*
[i] *lib. 5. ep. 57.*
[k] *lib. 12. epist. 17.*
[l] *de gest. Long. lib. 3. cap. 2.*
[m] *de gest. Long. lib. 4. c. 14.*
[n] *lib. 6. vit. S. Germani.*
[o] *apud I. Dart. in Exert. in Bar.*
[p] *in Not. ad Aenei. Procop.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [110] - 92
PUBLIC DOMAIN

simus. Denique Suidas cum Patricios πατέρας τῆ κοινῆ *Communis patres* definit, non *Præsentales* Patricios, quorum nuda dignitas fuit, sed *Præfectorios* intelligit, quorum munus erat prouincialibus ius dicere, & præstare populis præsidium. Porrò sub Iustiniano (quod dicere cœperam) in Italia odioso Regis nomine audacia Gothorum, atque tyrannide Imperatoribus facto, post eos debellatos, Belisarius primùm, deinde Narses Patricij & Ducis exercitus titulo insignes, vt eius temporis historici referunt, Italiam rexere. Exinde in prouinciam missi sunt *Exarchi*, qui eo demum abrogato nomine, *Patricij*, (quæ iam Imperij lex erat) sunt appellati. Itaque Patricia dignitas, licèt Regiæ proxima, longo interuallo tamen proxima fuit; cum & titulo, & insignibus, & dominatione Regum careret. Nam prouinciæ, cui Patricius præerat, quasi Prætor Præfectusque ad Cæsaris nutum moderabatur, ac in officio populos ijs, quas Augustus præscripsisset legibus, continebat, armisque ab hostibus tuebatur. Inde est quòd cum Defensorem, ac Patronum suarum prouinciarum, & Vrbis Pipinum Stephanus III. & Adrianus I. Carolum Magnum cooptarent, prompto illo, paratoque *Patricij* nomine, quod tum in Italia ex Imperij consuetudine vsurpabatur, eos appellauerunt. Quamobrem Carolum Romæ Imperatorem iam renunciatum Patricij nomen

Patricij, & Regis diuersitas.

Patricij, & Imperat. differentia.

men depoſuiſſe autores illorum temporum æquales, quos paulò ante laudaui, in Francorum annalibus narrauerunt; *Ac deinde*, inquiunt, *omiſſo Patricij nomine Imperator, ac Auguſtus eſt appellatus*. Idque eò factum eſt, quòd Cæſariani Miniſtri titulus illum, qui iam Cæſar eſſet, dedeceret. Quid ergo ijs Imperatoribus amabò in mentem veniſſet, quos Goldaſtus[a] aſſeuerat de inſtaurando Patricij nomine cogitaſſe, cum id Carolus Magnus ſtatim vt Imperator fuit, reſpuerit, ac reiecerit? Quid itidem Patriciatum Goldaſtus[b] Imperatoriæ Maieſtati *inſeparabiliter annexum, & perpetui priuilegij, & legis æternæ beneficium eſſe* prædicat? Quaſi ſummum ſit hero priuilegium, ac beneficium ſi ſeruus appelletur, Chremeti ſi Dauus in ſcena dicatur. Quamquam Romæ, ac in Pontificum ditione vniuerſa non illa Carolo, quæ pridem Cæſarianis Patricijs, ſumma rerum poteſtas Prætoria fuit; ſed tutelaris tantummodo, ac vt ita dicam, præſidiaria, quod Carolus ipſe titulorum ſui Patriciatus forma declarauit, quam regijs litteris poſt Francorum, & Longobardorum Regis nomen prænotare hunc in modum ſolebat: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum Defenſor ſanctæ Dei Eccleſiæ*. Hoc ſcilicet Caroli Patriciatus erat munus certum, proprium, ac vniuerſum; Eccleſiæ Romanæ præſto eſſe, eidemque domi, foriſque pacem, tranquilli-

[a] *aduer. Greſſer.*

ibidem.

Patricij Romanorum poteſtas.

quillitatemque publicam turbatam vindicare, vindicatamque tueri. Nec dubium, cum in ijsdem litterarum epigraphis *Patricij* nomen ita plerumque dissimulet, vt id in vno illo *Defensoris* titulo comprehendat, atque concludat: [a] *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Defensor sanctæ Dei Ecclesiæ*. Quare Paulus I. Pipinum à Stephano III. decessore suo creatum *Romanorum Patricium*, appellare *Defensorem Romanum* consueuerat: *Mense*, inquit, *Augusti, die septima decima, introduximus corpus beati Stephani Martyris atque Pontificis, tempore Constantini, & Leonis Augustorum, & Pipini excellentissimi Regis Francorum, & Defensoris Romani, Indictione quartadecima*. Sed ad Caroli titulorum normam redeo, quam hic vnam mihi proposui. Neque *Defensorem* Carolus solutum se scribit, ac liberum, vt integrum sibi foret eam defensionis prouinciam suscipere pro arbitratu, vel suo consilio negligere; quandoquidem sacramenti religionem, qua se se ea de causa Pontificibus, Ecclesiæque Romanæ obstrinxerat, agnoscit ac profitetur, vbi se *Defensorem deuotum* in libello Capitulorum prænotat: *Ego Carolus gratia Dei, eiusque misericordia donante Rex, & Rector Regni Francorum, & Deuotus sanctæ Dei Ecclesiæ Defensor, humilisque adiutor*. Quibus verò nominibus, quoue sacramento *Deuotus* esset, aperuit, cum ad Elipandum scribens, *Filium Ecclesiæ* hoc est Romanæ, se nuncupauit: *Carolus*

[a] *ad Offam Rg. ad Homer. apud Alchin. epist. 83. 85. & alibi.*

[b] *apud Baron. ann. 761.*

lus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, Filius & Defenſor ſanctæ Dei Eccleſiæ. Neque enim pietatis, vt fit, ac religionis ergo *Filium* ſe dixit; quippe qui, vt eius appellationis, quam vehementer ambiuit, compos fieret, Leonem III. etiam atque etiam per Legatum efflagitauerit: [a] *Et paterna*, inquit, *pietate nos in filium ſibi adoptaret dilectionis pacificam vnanimitatem*. Quid? vt ſe paterna voluntate Leo proſequeretur, ac filium appellaret? Non erat tanti, vt tam grauem Carolus adornaret, expediretque Legationem, vti nomen id ſibi à Leone beneficij loco concederetur, quod ex domeſtica conſuetudine à Romanis Pontificibus ne vel infimæ quidem plebis homuncioni negabatur. Sed ſi attendimus animum, *Adoptari filius*, diſertis verbis expetijt. *Adoptari* vero? Idque ab Eccleſiaſtico viro, à ſacrorum Antiſtite, cui ex præſcripto canonum eſſe nequeunt natura liberi? Liceat hic penitius Caroli Patriciatum inſpicere, ac eius rationem, conditionemque in lucem proferre. Cum *adoptari filius* à Leone Carolus petit, rem petit minimè nouam, ſi vel eius ætatis morem, vel Pipini parentis exemplum animaduertimus. Pipinus quidem *Patricius Romanorum* à Stephano III. declaratus, non ſemel FILIVS ADOPTIVVS in ijs [b] litteris appellatus eſt, quas, Petri Apoſtoli perſonam inducens, ad eundem Pipinum, obſeſſa à Longobardis Roma, perſcri-

[a] *epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.*

Caroli Patriciatus qualis.

[b] *apud Baron. ann. 755.*

perscripsit. Ex more autem vetustissimo ea tempestate adsciscebantur cum à priuatis hominibus, tum à Regibus, prouinciarumque dominis auxiliares viri fortes, bellica virtute, & præclarorum gloria facinorum insignes, qui priuatam familiarum, vel publicam Regnorum, ac prouinciarum rem tuerentur, si quod vel ab hostibus aliquando esset, vel à ciuibus timeretur periculum. Ita sibi filium [a] Zeno Imperator adoptauit Theodoricum Regem Gothorum, [b] Theodoricus Regem Herulorum, [c] Iustinus Imperator Euthericum Cillicam, alij vero alios bello & armis expertos. *Neque enim erat dignus adoptari* (vt [d] Cassiodorus ait) *nisi qui fortissimus mereretur agnosci, & qui se prius vellet mori, quam aliquid asperum videre patribus infligi.* Quare asciscebantur data vltro citroque fide certis quibusdam ritibus, vt est in formula [e] Theodorico Regi Gotthorum solemni: *Filium te præsenti munere procreamus, vt competenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignosceris; damus tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum*, ac statim de iuramento, ac fide subdit: *Ille à te deuotionem petit, qui te magis defensare disponit.* Quod ita innuit Venantius [f] Fortunatus:

Vtque fidelis ei sit gens armata, per arma
Iurat, iure suo se quoque lege ligat.

Qui vero ita adoptarentur, *Filij per arma* (vt legere est apud [g] Cassiodorum, atque [h] Iornandem) in po-

[a] Iornand. de reb. Getic.
[b] Cassiod. Var. lib. 4. ep. 2.
[c] Idem Var. lib. 8. ep. 1.
[d] Var. lib. 4. ep. 2.
[e] ibidem.
[f] lib. 6. carm. 7.
[g] Var. lib. 4. ep. 2. Var. lib. 8 ep. 1. & 9.
[h] de reb. Getic.

ſterum vocabantur, & ob iuramentum defenſionis gratia factum, *Defenſores Deuoti*. Nimirum ad eiuſmodi ſacramentum Adriano Pontifici dictum Carolus haud dubie reſpexit, cum ſe litteris Regijs *Filium ſanctæ Dei Eccleſiæ, Eccleſiæ Defenſorem*, ac *Defenſorem Deuotum* inſcripſit. Tria enim hæc Romæ Carolus præſtitit: *Filij* pietatem Pontifici profeſſus eſt, Eccleſiæ *Defenſionem* in ſe recepit, in eamque rem ſe ipſe, data Adriano fide, *Deuouit*. Quæ ſingula comprehendit ea Legatio, quam pro petitione Patriciatus Romam Carolus deſtinauit. Nam extincto Adriano Pontifice, quam ab illo acceperat Patriciam dignitatem, & Eccleſiæ Filij nomen ſibi confirmari à Leone III. ſucceſſore per Angebertum Legatum petijt, ſuamque viciſsim, hoc eſt, Filij ac Defenſoris fidem Pontifici ſpopondit, & Eccleſiæ tutelam. [a] *Illique* (Angeberto) *iniunximus*, inquit, *vt ex collatione mutua* (cum Leone Pontifice ad quem ſcribit) *conferatis quidquid ad Patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum Beatiſsimo Prædeceſſore veſtro ſanctè paternitatis pactum inij, ſic cum Beatitudine veſtra eiuſdem fidei, & charitatis inuiolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ Sanctitatis Veſtræ, diuina donante gratia, Sanctorum aduocatis precibus, me vtique Apoſtolica benedictio conſequatur; & ſanctiſsima Romanæ Eccleſiæ Sedes, Deo donante, noſtra ſemper deuotione defendatur.*

Patriciatus Caroli confirmatio.

[a] *epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.*

Nam vt ſibi redintegraretur Romanus Patriciatus,

tus, qui, Adriano mox vita functo, inanis iam erat, ac planè nullus, duas eiusdem olim sibi concessi proponit Leoni conditiones, *fidei* alteram, alteram *defensionis*. *Fidei*, inquit, *inuiolabile fœdus statuere desidero*: hoc est *paternitatis pactum*, vt ait, quod cum Adriano inierat, nimirum *adoptionis*. ad quam ipse Carolus in Adriani Pontificis epitaphio respexit:

[a] *Nomina iungo simul, titulis clarissime, nostra,*
Adrianus, Carolus, Rex ego, tuque Pater.

[a] *apud Alcuin. car. 217.*

Nam à Pontifice qua Prouinciarum Domino, non propagandæ sobolis causa, sed ditionis defendendæ, adoptatus est de more *filius per arma*. Quemadmodum [b] Stephanus III. ad eundem Carolum, Pipinum & Carolomannum: *Vos*, ait, ADOPTIVOS *habeo* FILIOS *ad* DEFENDENDVM *de manibus aduersariorum hanc Romanam ciuitatem*. Etenim vniuersum illud *paternitatis pactum*, & *fidei fœdus* in eo tandem, vt ipse Carolus hic ait, vertebatur, *Quatenus sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes nostra semper deuotione defendatur*. Caroli ergo Patriciatus quantuscumque erat, huiusmodi erat, vt nihil nisi Ecclesiæ Romanæ patrocinium, ac defensionem, eamque sacramento deuotam contineret. Cur igitur à Caroli Patriciatu Defensoris munus distinguit [c] Goldastus atque hoc illum Ecclesiæ impendisse contendit, illo verò Romanis ius dixisse comminiscitur? Certè Carolus Patriciatum à Leone renouari sibi ea tantum re postulat:

[b] *apud Baron. ann. 755.*

Patricius Rom. & Defensor Eccl. idē. [c] *in Ration. Cōst. Imp.*

stulat: *Quatenus*, inquit, *sanctissima Romanæ Ecclesiæ Sedes nostra semper deuotione defendatur*. Pipinus itidem *Defensor Romanus* à Paulo I. vt dixi, vocatus est, qui *Romanorum* æquè fuit *Patricius*. Mirum illud fortasse videatur, quòd Carolus sibi petat instaurari Patriciatum, qui semper integer ei relinquebatur, cui semel in Romana Republica obtigisset; *Nam mox vt datus fuerit Patriciatus, in vitæ tempus reliquum* (Theodoricus [a] Rex ait) *homini fit coæuus, ornatus indiuiduus, cingulum fidele, quod nescit ante deserere, quàm de mundo homines exire contingat*. Nempe illud verissimum est, atque hinc magis ac magis comprobatur, quod paulò ante disputaui, Carolum Romanorum Patricium fuisse renunciatum, non tam vt in Senatum adlectus in albo Patrum, seu Patriciorum conscriberetur, quàm vt Romanorum *Defensor* designaretur, designaretur autem consueto, vulgatoq. illo *Patricij* nomine, quo tum in Imperio Præsides prouinciarum, quorum partes erant prouinciales defendere, vulgò passim, & ex Imperij consuetudine nominabantur. Quæ igitur auctoritas, quodve munus esset Caroli Romanorum Patricij, ipse sua legatione, suique Patriciatus titulis declarauit. Declarauit porrò & alio facto; quandoquidem Carolus in Italia duobus clarus nominibus fuit Regis & Patricij; eius enim ditionis vniuersæ, ex qua Longobardos expulit, alteram partem Pontificibus olim possessoribus

[a] *Variar. lib. 6. formula 2.*

Patricius Rom. minor quam Rex Longob. d.

ſoribus ceſsiſſe, reſtituiſſeque illum nouimus; alteram, belli iure, ſuo adiunxiſſe imperio. In hac quidem *Longobardorum Rex* dici voluit, in illa *Patricius*, atque *Defenſor* potuit quidem, *Rex* autem eſſe, vel dici, nec potuit, nec voluit. Atque eam ob rem *Patricÿ Romanorum* titulum *Regis Longobardorum* titulo vbique poſtpoſuit; neque enim Regiæ maieſtati Patricij gradum comparandum putauit. Quod ſi *Romanorum Patricius*, *Rex* (vt iſti credunt) *Romanorum* fuiſſet, nulla prorſus dignitate, nulla ratione Longobardico Regno Regnum Romanorum Carolus poſthabuiſſet. Præſertim cum diu ante quàm Longobardos profligaret, Romanorum Patricius à Stephano III. nominatus eſſet. Nam ad ſuppetias Vrbi ferendas Pipinum patrem, amboſque eius liberos ſimiliter, vnoque nomine Stephanus euocauit, litteriſque hanc præfixit epigraphan. [a] *Dominis excellentiſsimis Pipino, Carolo, & Carolomanno noſtris Romanis Patricÿs*. Quæ cum ita ſint, tantum abeſt, vt Carolus Magnus, quà *Patricius*, *Rex* Romanorum eſſet, aut Rempublicam cum poteſtate gereret, aut Pontificum prouincijs, vrbibuſque moderaretur, vt earum clientelam, quam ſolam Patriciatus nomine contineri demonſtrauimus, ab Adriano I. conceſſam ſibi, Leonem III. ſucceſſorem rogaret, vt ratam firmamque eſſe ſibi nihilominus vellet; quòd illam ſciret à Romani Pontificis nu-

[a] *apud Baron. anno* 755.

cis nutu pendere, & pro eius arbitrio æquè sibi, Regibusque Francorum, atque cuilibet Christianorum Principum committi posse, prout quisque rebus Ecclesiæ Romanæ, vel bono religionis publico studere maximè videretur. Quare post Gallorum Reges demandata ea nonnunquam prouincia fuit Regibus Italiæ, Castellæ, Sueuiæ, Siciliæ; quorum, nisi me fallit memoria, postremi fuere Conradinus, & Ludouici Regis sanctissimi frater Carolus Andegauus, quod eius hic argenteus nummus prodit,



in quo SENATOR VRBIS Carolus inscribitur; quia posterioribus deinde seculis Romanorum Patricij (vt ex lege Nicolai III. liquet, quam modò proferam) Vrbis SENATORES, RECTORES, ac etiam CAPITANEI sunt appellati. Quorum potentia cùm plerumque in Pontificum Maximorum, & Cardinalium comitijs opprimeretur potius Ecclesia Romana, quàm ex vetere, primoque instituto, vt par erat, defenderetur; Nicolaus III. Vrbis patrocinium & administrationem, ab ijs, ad minorum gentium Præsides, vt hodie videmus, hac lege traduxit. [a] *De fratrum nostrorum consilio, hac irrefragabili, & in perpetuum valitura constitutione sancimus: vt quandocumque & quotiescumque* SENATORIS *electio, vel alterius quocumque nomine censeatur, qui quocumque modo, vel quocumque titulo*

[a] *cap. Fundamenta. de Elect. in Sext.*

titulo ipsius Vrbis debeat præesse regimini, in posterum imminebit: NVLLVS IMPERATOR, SEV REX ROMANORVM, AVT ALIVS IMPERATOR, VEL REX, PRINCEPS, MARCHIO, DVX, AVT BARO, *vel quicumque alterius notabilis præeminentiæ, potentiæ, seu potestatis, excellentiæ, vel dignitatis existat frater, filius, vel nepos eorum, ad tempus, vel in perpetuum, seu quiuis alius, vltra annale spatium, quouis modo, colore, vel causa, per se, vel per aliam personam quomodolibet submittenda, in* SENATOREM, CAPITANEVM, PATRICIVM, AVT RECTOREM, *vel ad eiusdem Vrbis regimen, seu officium nominetur, eligatur, seu aliàs assumatur absque licentia Sedis Apostolicæ speciali, per ipsius Sedis litteras concessionem licentiæ huiusmodi specialiter exprimentes.* Siue igitur amplissimam Patriciorum Imperialium, hoc est Italiæ Exarchorum potestatem, iurisdictionemq. spectemus, siue hanc, quam modo declarauimus Caroli Patriciatus longè minorem dignitatem; qua tandem ratione Carolo Romanorum Patricio DOMINI, REGISque tituli, quos illa celebrat inscriptio, congruant? vel ille, quem tabula exhibet, habitus, vestesque conueniant? Romanorum siquidem Patricijs, velut hodie Vrbis Senatori, talarem fuisse amictum, *chlamydem, tunicamque* scimus; quas cum in ea dignitate esset, Carolum Leonis III. rogatu induisse, testis est [a] Eginhartus. *Peregrina verò indumenta*, inquit, *quamuis pulcherrima respuebat, nec vnquam eis indui patiebatur;*

Patricio Rom. nec inscriptio nec habitus conuenit.

[a] *in Vita Car.*

tur; excepto quòd Romæ ſemel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore eius ſupplicante, longa tunica, & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, induebatur.

Eum fuiſſe Patriciorum habitum, Athalaricus Rex apud [a] Caſsiodorum teſtatur. Hic verò vbi tunicam longam, vbi chlamydem vides? Certè paludamentum vides imperatorium indumento ſuperiectum Francico, Carolo Regi, vt paulò poſt dicam, conſueto & familiari. At cum Francorum, & Longobardorum Principe, ait, non ne *Regis* nomen bene conſentit? ſed conſentit illud ſolummodo; nam *Dominum noſtrum* (quæ altera inſcriptionis pars eſt) Romæ externo Regi quis inſcribat? ſcilicet externi tum etiam fuere Longobardorum Reges, cum reliquam Romanorum Pontificum ditionem per ſummum ſcelus occupabant; quibus demum exactis Carolus victor, etſi Longobardorum, non tamen ob id vocari, vt dixi, Romanorum Rex voluit, aut potuit. Tum quòd recuperatas Eccleſiæ Romanæ Prouincias Adriano Pontifici reſtituit; tum etiam quòd à Longobardorum Regibus, quorum in Regno ille ſucceſsit, etſi Roma obſidione preſſa, nunquam tamen oppreſſa fuit imperio. Francorum autem Reges, qua Eccleſiæ Defenſores, ac Romanorum Patricij (nam extra hoc quidem nomen, nihil rei Gallis fuit cum Romanis) tantum abeſt, vt Romæ *Domini noſtri* dici vellent,

[a] *Var. lib. 8. ep. iſtg.*

Neque Regi Longobardorum.

Neque Regi Francorum.

vellent, vt ne cuperent quidem, etsi aliqua id ratione potuissent, quippe qui viderent Patricijs id, vt exposui, minimè conuenire; domi verò vsum eius tituli nullum ipsi haberent, quemadmodum & eorum *Capitula*, quas leges nuncupamus, & Nomismata, & Caroli Calui de cudendis nummis constitutio probat. Nam siquando D. N. REGEM in actis, tabulisque Francorum legi contingat, quod quidem contingit rarò; priuatorum tabellionum id obsequium est potius, quàm eius reipublicæ, aut Principum consuetudo, quæ planè contraria domesticis verbis, & natiuo sensu in ijs *Capitulis* exprimitur. Ob nullam ergo trium illarum dignitatum, sed noua & penitus peculiari de causa Carolus dici *Dominus Noster* tum primùm cœpit, cum illa scilicet translata in eum dignitas fuit, propter quam à Romanis, atque adeò etiam à Pontificibus Maximis Imperatores veteri quodam vsu *Domini nostri* appellari, salutarique consueuerunt. Quamobrem Theophanes [a] non quidem antea, sed ab Caroli Cæsaris renunciatione ἡνωμένης τῆς ῥώμης ἀπ' ἐκείνε καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγκων, *in Francorum*, hoc est Caroli, *potestatem deuenisse Romam* existimauit; de qua tamen sententia mox dicam enucleatè. Romanorum ergo more recepto, Romano Principi tum primùm creato inscriptum à Leone III. est: D. N. CARVLO REGI. Cur autem ab *Imperatoris* nomine hic temperatum

Conuenit Carolo Imperatori.

[a] *in Chron.*

ſit, tertiodecimo capite diſputabimus. Sed de hac inſcriptione ſatis.

INSCRIPTIO LEONIS IMAGINIS exponitur. Cap. XII.

AGE nunc alteram videamus, quæ eſt:

SCSSIMVS. D. N. LEO. PAPA

vt illa Carolum, hæc ita Leonem *Dominum Noſtrum* indigitat. Quis iſte Dominorum Duumuiratus vrbanus? dicet fortaſſe quiſpiam, qui infenſo animo, atque inimico audit Romanorum Pontificum ciuilem dominationem, quam *temporalem* appellant; niſi forte frigida illa, atque ieiuna calumnia, pictoris vitio factum id arbitretur. Verùm dum antiquas perluſtro maiorum imagines, æquè me nihil detinere ſolet, atque ſolertiſsima illorum diligentia, ſiue rerum hiſtoriam, ſiue rituum obſeruantiam, ſiue pondera veritatis examino. Ea omnia, licet rudibus expreſſa lineamentis, admirabile quid habent in receſſu, modo hæc eruditis oculis intueare; nam eminent, & apparent eò magis, quò minus opprimuntur artis induſtria. Vide hic Apoſtolos in teſtudine tribunalis, Petrum oram pallij ſublegentem, reliquos pallijs ſuffarcinatos; fortaſſe ridebis artificem dignitatis imperitum; at ſi quam refert hiſtoriam animad-

Titulus D. N.

Imaginum antiquarũ expiſſa.

uertas,

uertas, peritissimum dicas. Scilicet ad iter accinctos, succinctosque, iamque carpentes viam Apostolos depinxit, vbi illud Christi Domini audierunt celeusma EVNTES DOCETE, quod in tabulæ appendice notauit. Vide præterea duum Imperatorum Constantini, & Caroli tam disimiles coronas; neque enim ad pictoris libidinem, sed ad diuersi seculi consuetudinem, vt mox differam, illa est varietas. Vide denique inscriptum Carolo Imperatori REGIS titulum; in quo quis non oscitantem arguat artificem? Attamen data est opera, vt paulò post dicam, ne aliter illa sonaret epigrapha. Nemo igitur eam ἀκρίβειαν, exactamque diligentiam in Leonis titulo neglectam fuisse putet, qui hanc in reliquis huiusce tabulæ partibus tam accuratè, religiosèque seruatam videat. Nec dubium, cum Leonis III. tempestate, ac diu post, antiquissimum, ac præstantissimum Aedilium Leuitarum Collegium perdurauerit, quorum munus fuit sacris ædificijs faciundis præesse, vtque cum dignitate, ritèque fierent ita curare, vt publico nominum suorum testimonio lapidibus inciso procurationem verbis solemnibus profiteri tenerentur. Damasi Pontificis Leuita Aedilis in Cœmeterio Vaticano, quod aggere cinxerat, carmen, quo rem totam narrat, ita claudit:

Leuitarum Ædilium cura.

HÆC. CVRAVIT. MERCVRIVS. LEVITA. FIDELIS

Leonis III. Leuita Aedilis in ſacello, quod, ante Sixtianam demolitionem, ponè Triclinium, de quo agimus, extabat, hunc in modum inſcripſit.

CVRANTE. N. LEBITA. PETRI
AD. HONOREM. ARCHANGELORVM
LEO. TERTIVS. PAPA. FIERI. IVSSIT

Ad portas æneas Patriarchij Lateranenſis Leuita Cœleſtini III. ſuam ita teſtatus eſt diligentiam.

INCARNATIONIS. DOMINICÆ. ∞C XCVI.
PONTIFICATVS. VERO. DOMINI. COELESTINI. PAPÆ. III
ANNO. VI. CENCIO. CAMERARIO. MINISTRANTE
HOC. OPVS. FACTVM. EST

Ergo Leuitarum Aedilium Collegium eius tituli formam conceptis, conſultiſque verbis opportunè ad rem, ita dictaſſe, vt in Triclinio hodie legitur, minimè dubitamus. Cæterum antiquus, vt paulo ante attigi, Romanorum mos eſt, atque adeò proprius, Principes, quorum in ditione, legitimaque poteſtate eſſent, *Dominos noſtros* nuncupare, & inſcribere. Sic olim Imperatores Romanos nationes, populique omnes, *Dominos orbis terrarum*, ſalutabant; ſingulæ verò Prouinciæ, *Dominos noſtros*, ſuos, inquam, profitebantur. Poſt Cæſares vel Gentiles, vel Chriſtianos, ita Romani venerati ſunt Gotthos Reges, Theodoricum, Athalaricum, Theodatum, ac reliquos, quorum adhuc ſuperſunt inſcriptiones, & nomiſmata. Eadem ratione, eodemque more

Pontifices Rom. DD. NN.

Pon-


Pontifices Maximos, *Dominos suos*, nuncupare tum cœpit Senatus, Populusque Romanus, cùm Vrbe Pontifices suo, plenoque iure, ac dominatu primùm potiti sunt. Potiti sunt autem cum à fidei desertore Leone Isaurico discedens Senatus Romanus sacramentum (teste [a] Anastasio) dixit Gregorio II. [a] *in Greg. II.* Quamquam impius Imperator, vt à Pontificis fide Senatum, Populumque Romanum abduceret, classem instruxit, quam ad ostia Tyberina priusquàm appelleret, diuino nutu, quemadmodum [b] Theophanes narrat Adriaticum Pelagus, Ecclesiæ Romanæ velut iniuriarum vltor, absorbuit. Neque ita tamen sedatæ procellæ sunt, quibus ciuile hoc imperium Romanorum Pontificum iactatum est per id tempus, sub altero Gregorio, Zacharia, & Stephano III. qui Francorum auxilium præsidiumque imploraturus ad Pipinum Regem in Gallias perrexit. Is primum arma Longobardorum ab Vrbe, & à reliqua Pontificum ditione auertit, Carolus deinde filius tranquillissimam pacem Adriano I. peperit, qui procul ab omnibus turbis, Romam, vt decessores inde à Gregorio II. Pontifice, plena dominatione tenuit. Tenuit Leo quoque III. successor integro quadriennio. Tum ciuium coniurata manus Pontificiæ dominationis pertæsa, Leoni vim intulit; Carolus verò Magnus, qui tandiu laudabitur, dum memoria Pontificum [b] *in Chron.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [127] - 109
PUBLIC DOMAIN

ficum Romanorum manebit, non modò paratam defectionem coërcuit, ac Senatum, Populumque Romanum ad debitam Leoni fidem pellexit, induxitque; ſed vetus etiam Pontificum in Vrbe dominium ita ſtabiliuit, vt ex eo tempore (ante id enim ego quidem hoc nondum obſeruaui) Romani Pontifices tanquam Vrbis iam Domini, cum in titulis, tum in acclamationibus, audire cœperint, *Domini noſtri*. Sanè poſt illud tempus, extat in æde ſancti Marci teſſellatum opus Gregorij IV. qui paulò poſt Leonem III. Pontificatum cepit, ibidemque legis hanc epigraphàm

SCSSIMVS. D. N. GREGORIVS. PP

Et in antiquis Ritualibus, tum Pontificibus, tum Auguſtis acclamatur *D. N. Papæ vita. D. N. Imperatori vita & victoria*. Quod ex decreto Leonis vſurpatum deinde fuiſſe, facilè ex huius tabulæ, & Benedicti Politici teſtimonio poteſt intelligi. Sed committamus cum Leonis emblemate vermiculato hoc nomiſma, in cuius altera facie ſimulachrum reſtituti Leonis ſub imagine Petri, in auerſa, eius nomen, Dominijque titulum æquè luculentum videre licet, atque in hac tabula incorruptum habemus. Neque



Baro-

Baronio [c] eccleſiaſticæ antiquitatis peritiſsimo, cui alioqui plurimum tribuo, aſſentiri facilè poſſum, aut Lælio Paſqualino, qui Baronio eius fuit autor ſententiæ, vt crederet Leonis I. eſſe illud nomiſma. Nam quarto illo, quo Leo Magnus floruit, tribuſque poſterioribus ſeculis, ita Cæſares Italiæ vniuerſæ, & Vrbi moderati ſunt, vt Pontificibus Maximis, præter eccleſiaſticam, nihil ciuilis iuriſdictionis permiſerint; tantum abeſt, vt vrbanæ dominationis ergò *Domini noſtri* à Senatu Populoque ſint appellati, aut ab illis hoc titulo cuſa nomiſmata fuerint. Si titulos, quos Magno Leoni populus, vel ſibi ipſe poſuerit, aliunde (quandoquidem Leoniani minimè ſuppetunt) noſſe certò volumus, facilè intelligemus è Xyſti III. eius anteceſſoris, vel ſucceſſoris Hilari titulorum exemplo, in deq. elicie-mus Leonis, atque adeò eius tempeſtatis conſuetudinem. Xyſtus in arcu maiore Baſilicæ Liberianæ, quam olim reſtauraverat, ſcribi iuſsit ex muſiuo:

[c] *Tom. 6. ad ann. 461.*

Antiqui Pontific. Rom. tituli.

XYSTVS. EPISCOPVS. PLEBI. DEI

Hilarus epiſtylio ædiculæ ſancti Ioannis Baptiſtæ, quam in Baptiſterio Conſtantiniano condidit, inſcripſit hunc titulum:

HILARVS. EPISCOPVS. SANCTÆ. PLEBI. DEI

ædiculæ ianuas æneas argento ita cælauit.

IN. HONOREM. BEATI. IOANNIS. BAPTISTÆ
HILARVS. EPISCOPVS. DEI. FAMVLVS. OFFERT

In al-

In altero verò ſancti Ioannis Euangeliſtæ ſacello, quod è regione illius eſt:

LIBERATORI. SVO. BEATO. IOANNI. EVANGELISTÆ
HILARVS. EPISCOPVS. FAMVLVS. CHRISTI

En quantum abhorret huius nomiſmatis epigrapha à Magni Leonis tempore, ac more. Nec minus abeſt ab vſu ætatis Leonis II. eandem enim tum perduraſſe, quæ antiquitus Romæ fuerat, ciuilis iuriſdictionis, adminiſtrandæque Reipublicæ formam, Agathonis teſtimonio liquet, qui, ad Conſtantinum Pogonatum Cæſarem Legatos Synodi Conſtantinopolitanæ Præſides ſe deſtinare ait: *de hac ſeruili veſtri Sereniſſimi principatus Romana vrbe*.

Titulus,& nomiſma Leonis iij. Vnus ergo omnium Leonum facile antiquiſsimus, cui nomiſma illud attribui queat, Leo eſt III. conſentitque hiſtoria, ac huius tabulæ titulus, ſi cum nummi titulo comparetur. Hic nobis [a] Theophanem neſcio quis obijciat, qui ne tum quidem, hoc eſt, Leonis III. tempeſtate, in Pontificum Romanorum, ſed in Francorum poteſtatem, vt paulò ante memoraui, Vrbem deueniſſe narrat. At id confirmare ſua [b] Bibliothecarius interpretatione, à qua penitus illam ſententiam excluſit, minimè quidem voluit; quippe cui optimè de adminiſtratione ſtatuque Reipublicæ Romanæ conſtaret, & ante oculos ipſa tum res verſaretur. Niſi Theophanem ſic accipias; quemadmodum [c] Paulus Diaconus apud

[a] *in Chron.*

[b] *in Hiſt.*

[c] *in Ded. Feſt. Pomp.*

Caro-

Carolum Magnum, *Ciuitatem vestram Romuleam* dixit, quæ scilicet in illius tutela esset, vt demonstrauimus, atque præsidio. Nam tabulæ quas Carolus Adriano confecerat, ac Leoni confirmarat, haud ita priuatæ, ignotæque fuerunt, vt tantos eius temporis scriptores latere potuerint. At verò Romam Pontificum Maximorum imperio, legibusque tum paruisse, si quidem alijs affirmantibus credere non libet, saltem ijs, quorum res intererat, credatur; [a] Carolo Magno, qui, vt superiore capite declaratum est, & quartodecimo fusius dicetur, Romanorum Patriciatum, idest Vrbis Præfecturam per Legatos, à Romano Pontifice petijt, fidemque eidem spopondit suam. Credatur [b] Ludouico filio, qui Paschali I. Leonis III. successori ratam Caroli patris concessionem habens; *Concedo*, inquit, *sicut à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis, & disposuistis Ciuitatem Romanam cum Ducatu suo*, &c. [c] Credatur Constantino Porphyrogenneto, qui filium imperij successorem monet, ne Romam suæ ditionis finibus contineri putet, quæ διαφύζεται κυρίως Δόμνος τῷ κατὰ καιρὸν Πάπα: *ab eo Antistite, qui in Pontificatu per tempus succederet, iure Dominij teneretur*. Hoc ergo nomine Leo III. cùm in nomismate, tum in emblemate D.N. inscribitur, Carolus verò, quà Cæsar publicè renunciatus. Ad quem planè modum vterque *Romæ Pater* à Poëta eius ætatis nuncupatur:

Dominiũ Pontificis Rom.

[a] *Epi. 84. ad Leon. apud Alcuin.*

[b] *in Const. de priu. B. Pet.*

[c] *de Them. lib. 2.*

O quanto premitur Romana dolore
Præclaris ſubitò Patribus orba ;

Et infra *duo Lumina* vocantur:

Luge Roma tuum nomen in vmbris ,
Et defuncta duo Lumina luge .

Præſtat hic integrum dare carmen, & huic diſputationi conueniens, & haud inuenuſtum, ſi ſcribentis ætatem ſpectes. Ijs certè minimè ingratum fore puto, qui noua priſcorum temporum monumenta ex Vaticana Bibliotheca expetunt.

Cæſar , tantus eras , quantus & orbis ,
At nunc in modico clauderis antro .
Poſt te quiſque ſciat ſe ruiturum ,
Et quòd nulla mori gloria tollat .
Florens Imperij gloria quondam
Deſolata ſuo Cæſare marcet ,
Hanc vltra ſpeciem non habitura ,
Quam tecum moriens occuluiſti .
O quanto premitur Roma dolore ,
Præclaris ſubitò Patribus orba .
Nunc Auguſte tuo funere languet ,
Infirmata pij morte Leonis .
Leges à ſenibus Patribus actas ,
Quas elapſa diu raſerat ætas ,
Omnes , vt fuerant , ipſe reformans ,
Romanis ſtuduit reddere cauſis .
Tu longinqua ſatis Regna , locoſque

Quos

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [132] - 114
PUBLIC DOMAIN

Quos nullus potuit flectere Cæsar,
Romanos onerans viribus arcus,
Ad ciuile decus excoluisti.
Quæ te non doluit, Cæsar, obisse,
Vel quæ non timuit patria viuum?
Sed quæ te timuit patria viuum,
Hæc te nunc doluit, Cæsar, obisse.
Nam sic lenis eras iam superatis,
Et sic indomitis gentibus asper,
Vt qui non doluit, iure timeret;
Et qui non timuit, iure doleret.
Luge, Roma, tuum nomen in vmbris,
Et defuncta duo Lumina luge.
Arcus frange tuos, sicque triumphum,
Et te, Roma, tuis hostibus offer.

Quid? Num ad rebellionem Romanos incitat? Id verò neque Romanorum fidem, neque Poëtæ modestiam decebat, qui non tam magnam Caroli laudem, quin maiorem Ludouici successoris vituperationem hic exaggerasset, si quid ad Imperium, quod tum Ludouicus susceperat, Roma pertinuisset. Num potius innuit quod res est? ita videlicet Romano Pontifici integrum fuisse Defensorem sibi quærere quem vellet, vt vbi Defensor Carolo virtute par non suppeteret, suo iure, suaque libertate vti, & abuti sic posset, vt se hostibus offerre nulla inuidia, nulla iniuria, nulla denique violata lege

vel fide poſſet. Scilicet Autor præter tutelarem in Vrbe Caroli poteſtatem, de qua ſupra diſputatum eſt, aliam agnoſcit nullam. Idque, vt demonſtraui, munus erat Patricij Romanorum, hoc eſt, (quid enim iſti fruſtra diſtinguunt?) Defenſoris Eccleſiæ Romanæ, eiuſque iurium, ciuitatum, ac prouinciarum, quæ in ditione Romanorum Pontificum eſſent. Quas etenim victorias, quos triumphos Vrbi, ac Romanis Carolum peperiſſe hic Autor affirmat, ijſdem Eccleſiam Romanam ornaſſe ait Ingobertus Caroli ſcriba:

Ad dextram Armigeri prætendunt arma miniſtri,
Eccleſiam Chriſti inuictus Defenſor in æuum
Armipotens magnis queis ornet ſæpe triumphis.

Armis quippe Carolus debellauit, qui domi, foriſq. Eccleſiæ Romanæ, Pontificumque dominatum, & ditionem turbatum ibant; atque hæc fuit Caroli Romanorum Patricij ſumma triumphorum. Ex rebus à Leone geſtis illud inſigne nobis Poëta notatum reliquit, quòd

Leges à ſenibus Patribus actas
Romanis ſtuduit reddere cauſis.

Egregium ſanè opus, quod in eruditorum animis ingens ſui deſiderium commoueat. Ni fortè Anſelmi illa, quæ in Bibliothecis habetur, Canonum Collectio ab hac Leoniana, ita vt eſt integra, manarit. Planè ad vnam vtraque formam concinnata fuiſ-

ta fuisse mihi videtur. Nam in altera, quæ supersit, siue Anselmi, siue Leonis eam dicere mauis, id obserues, quod memoria dignum Poëta censuit: *Leges* Ecclesiasticas per certa capita *Romanis causis redditas;* singulas nimirum singulis appositas, tributasque; quod ante Leonem feciſſe primum Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum [a] alibi diximus. Eius Canonum Collectionis, nuper Hidelberga, insignis codex, exesus licet ac dimidiatus, adlatus huc est, venerandæ antiquitatis illustre sanè monumentum.

[a] *in Not. ad Procop.*

QVÆ DICTA SVNT QVINQVE *habere difficultates videntur.* Cap. XIII.

AETERVM huius generis monimentorum fides ex tribus his fermè constat, si cohæreant singula, si temporibus respondeant, si ab historia habeant testimonium. Hæc verò etiam si satis, ni fallor, explicata sunt; Imperij tamen translati controuersia plena cum sit inuidiæ, quæ sicuti videre contemnit veritatem, ita singula perspicere solet, quibus veritas impugnetur; quinque in hac tabula reperio causas, ijs maximè opportunas, qui contradicendi libertate suo veluti iure vtuntur. Vnam, quòd de Imperio hic mentio sit nulla, imo nec Imperatoris nomen

Rationes contra tabulā Trāslationis Imp.

Prima.

men extet, quo tamen Carolum fuisse tum salutatum, cum Augustus renunciatus est, nemo Historicorum non asseuerat. Alteram, quòd signum id, quod in manum Carolo traditur, si cuius est, Patriciæ certè est argumentum dignitatis; de vexillo quippe à Leone III. ad Carolum Patricium missō Autores meminerunt. Tertiam, quòd nihil cum Cæsare inaugurato ille facere videtur ornatus, quem præsefert musiui delineatio. Quartam, quòd ad cuiusuis magis, quàm ad Caroli similitudinem ea accedit imago, cui Caroli inditum nomen hic est. Quintam, quòd Leonianum Triclinium longè ante absolutum fuit, quàm à Romanis Leo eijceretur, quàm proficisceretur in Germaniam, quàm denique Carolum donaret Imperio. Nam publici conuentus, qui, statim post Leonis reditum è Saxonia, de eius causa habiti sunt, hic, teste [a] Bibliothecario, sunt habiti. *Post aliquos dies*, inquit, *fidelissimis Missis, qui cum Leone venerunt in Pontificale obsequium, videlicet Hildeualdo, & Arno Reuerendissimis Archiepiscopis*, &c. *residentibus in Triclinio ipsius Domini Leonis Papæ, & per vnam, & amplius hebdomadam inquirentibus*, &c. Earum, si placet, causarum quantum quæque valeat, quantumque vera sit vnaquæque, videamus. Ante conditum fuisse Triclinium (vt de postrema primùm causa dicamus) quàm Carolus renunciaretur Imperator, minimè inficias imus;

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

[a] *in Leon. III.*

Ad quintam ratiocinem.

orna-

ornamenta tamen Cœnaculi perfecta negamus, antequàm Carolus Romam veniret, ac Cæsar appellaretur. Siquidem omnia penè ædificia à Leone III. Romæ inchoata, ob factam à Paschale, & Campulo in eum coniurationem, imperfecta fuisse relicta, idem Bibliothecarius affirmat; ac ne de Triclinio dubitandi locus remaneret, nominatim Patriarchij meminit extructionum: [a] *Hic autem*, inquit, *venerabilis, & sanctissimus Præsul, dum in Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia per ordinem ecclesiasticum degeret, & ritum orthodoxæ fidei teneret, atque ex omni parte tam per diuersas Ecclesias, quàmque in Patriarchio, in amplis ædificijs construens, comptè ornaret*, coniuratorum factione, insidijsque petitur ad necem. Exornari ergo ædes cœperant, cùm, inopinato illo casu, Roma Leo excedere coactus est; ac primum in Spoletanum agrum ad Vinigisum Ducem, deinde ad Carolum Regem Francorum in Germaniam confugere: quo toto tempore cum Triclinium, tum reliqua Leonis ædificia penè in squalore iacuerunt. Sed quid de Triclinio? cùm Ecclesia sanctæ Susannæ, cuius (vt apud [b] Anastasium narrationis ordo declarat) longè ante cœpta extructio fuerat, post acceptum à Carolo imperium, sit absoluta? Quippe Carolum corona, paludamento, totoque indutum imperatorio ornatu Leo III. in eius templi Apside, (quod [c] diximus, nec repetere piget) ex musiuo depinxit.

Triclinium Leonis quando perfectum.

[a] *in Leone III.*

[b] *in Leone III.*

[c] *sup. c. 2.*

Præ-

Præterquàm quòd, ante Campulanam illam coniurationem, nulla extiterunt in Leonem Caroli merita, nulla conſuetudinis, vel amicitiæ cauſa, quam ob rem in Baſilicis, in Lateranenſi Patriarchio eidem à Leone publicè ſtatuerentur imagines, nedum inſignibus imperij decorarentur, vel inſcriptione Cæſari ſolùm, vt oſtendimus, debita cohoneſtarentur. Verùm ſi ante Romanorum in Leonem conſpirationem perfecta huiuſce Triclinij ornamenta contendis, cedò alterum Leonis exilium, alteram reſtitutionem, quam hac in tabula expreſſam demonſtres. Itaque ſicut ex Anaſtaſij conſtat hiſtoria conuentus aduerſus coniuratos in Triclinio Leoniano fuiſſe celebratos; ita, quod modò dicebam, Triclinij ornamentis, poſt Leonem reſtitutum, Carolumque Imperatorem deſignatum, ſupremam manum impoſitam fuiſſe, cum eiuſdem Anaſtaſij teſtimonium, tum ipſa ratio conuincit.

Ad quartam rationem.

Deinde Caroli ſimilitudinem (is enim locus erat poſtremo proximus contra ea, quæ diſputamus) tam expreſſam, tam veram, ac viuam exigimus à Pictoribus, qui, Carolo Imperatore, & Leone Pontifice, hoc eſt ætate non adeò culta ſolertique, vixerunt? idque in opere teſſellato? Scio diſſimilem planè iſtius eſſe Caroli vultum, quem Turpinus deſcribit: ſed autorem illum, qui Turpini mentitus eſt nomen, plenum eſſe fabularum, res nota iam dudum

Caroli M. forma.

dumdum est, atque apud omnes peruulgata. Sed quid ille de Caroli specie,& habitu? [a] *Longitudo eius,* inquit, *octo pedum, suorum scilicet, qui erant longissimi; facies eius palmum, & dimidium habebat in longitudine; barba vnum palmum; nasus circuter dimidium; & frons eius erat vnius pedis.* De statura quod ait; imponet, vt reor, nemini, cum hodieque superet hastile Caroli Magni ad eius olim staturam exactum, quemadmodum litteræ ex argento inscriptæ declarant: KARLVS. IMPR̄ IVSSIT. CVBITV̄. ISTV̄. FACERE. IVXTA. MENSVRAM SVAM. Hastile verò, vt [b] qui viderunt, ac mensi sunt affirmant, insolens ac vastum continet planè nihil. Faciem autem (si qua est humani corporis commensuratio) planè prodigiosam, ac monstrosam narrat, nisi fortè rictum equinum, non vultum humanum describit; quamquam & belluinum rostrum iusta non careat partium competentia. Hic tamen palmo, ac præterea semipalmo faciem, pede frontem, semipalmo nasum metitur. Siue autem palmo, ac pede Gigantis, quem delineare videtur, siue suo Turpinus giganteam illam vastitatem metiatur, mensura est minimè consentanea, nec ad symmetriæ rationem modulata. Eginhartus diuersa, & omninò contraria de sui Principis forma refert, huic verò imagini conuenientissima. [c] *Corpore*, inquit, *fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen iustam non excederet, nam septem suorum pedum pro-*

[a] *de gest. Caroli M. cap. 20.*

Statura.

[b] *Marquar. Freher. de statura Car. M.*

Facies.

[c] *in vit. Car. M.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [139] - 121
PUBLIC DOMAIN

ceritatem eius conſtat habuiſſe figuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari. Penè ad viuum expreſſa videmus omnia in hoc ſimulachro, alteroque illo, quod ex ſanctæ Suſannæ tribunali deſumptum ſupra, ſecundo capite, propoſuimus; in quo tamen corporis ſtatura, membrorumque amplitudo, ac robur ipſa imaginis conſtitutione, ſituque magis magiſque prodatur, & appareat. Caniciem, & ſi quid aliud eſt vltimæ ſenectutis inditium, in imagine primo ſtatim imperij anno depicta, hoc eſt, quarto & decimo ante diem Barba. Caroli vitæ ſupremum, fruſtra requiris. Barbam denique Turpinus; Eſt ne autem quod de Caroli barba rectè referre poſsit, qui omnia perperam de facie narrauit? [a] Marcus Velſerus vir clariſsimus Carolum promiſiſſe barbam negauit, protulitque hoc Leonis emblema, & monetam, in qua Caroli effigies puro eſt mento. Proferimus nos idem illud Eccleſiæ ſanctæ Suſannæ muſiuum; proferimus Ingoberti Caroli Imperatoris Scribæ tabulam, in qua herum ille ſuum mento raſo Romanorum Imperatorum ritu, vel detonſo, nobis exhibuit

[a] *apud Freher. loc. cit.*

in fron-



in fronte Bibliorum, quæ iussu Caroli, regio planè apparatu, sua ipse manu exarauit, quod, præter alia, sic præfatur.

Hæc namque inuenies præsenti pascua libro

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [141] - 123
PUBLIC DOMAIN

Quem tibi, quemque tuis, Rex Karolus ore ſerenus
Offert, Chriſte, tuuſque cliens, & corde fidelis.
Eius ad imperium deuoti pectoris artus
Ingobertus eram referens, & Scriba fidelis,
Graphidas Auſonios æquans, ſuperanſque tenore:

Præſtat & imaginis deſcriptionem hic addere, quam Ingobertus in eodem Bibliorum Codice, qui in ſacrario Baſilicæ ſancti Pauli via Oſtienſi ſeruatur, carmine ſic expreſsit.

Rex cæli Dominus ſolita pietate redundans
Hunc Karolum Regem terræ dilexit herilem.
Tanti ergo officij vt compos valuißet haberi,
Tetractÿ impleuit virtutum quatuor alma.
Imminet hæc capiti de vertice cuncta refundens.
Denique ſe primum, tunc omnia ritè gubernat
Prudenter, iuſtè, moderatè, fortiter atque.
Hinc inde Angelico ſeptus tutamine ſacro,
Hoſtibus vt cunctis, exultet pace, repulſis.
Ad dextram armigeri prætendunt arma miniſtri
Eccleſiam Chriſti inuictus defenſor in æuum
Armipotens magnis queis ornet ſæpe triumphis.
Nobilis ad læuam coniux de more venuſtat,
Qua inſignis proles in regnum ritè paretur.

Ad tertiã rationem. De veſtitu Caroli tertio loco obijciebatur; illum minimè imperatorium videri. Si quidem reliquum dicis veſtimenti ornatum, calceos, tibialia, tunicam: haud ego quidem negauerim; meminiſſe tamen

men oportet, non ex condicto, vel diu ante meditato apparatu celebratam Caroli inaugurationem fuisse, sed inscio, ac nihil tale opinanti Imperiale paludamentum à Leone iniectum, & impositam capiti coronam. Subita hæc pompa, improuisumq. spectaculum vno omnium scriptorum narratur consensu. An est qui tum veste indutum non patria Carolum ostendere possit? qui exterorum ita respuisse dicitur amictum, vt vel Romanum, Romæ, à Summis Pontificibus rogatus, vix admitteret. [a] *Vestitu*, inquit Eginhartus, *patrio, hoc est Francico vtebatur*, &c. *peregrina verò indumenta, quamuis pulcherrima, respuebat, nec vnquam eis indui patiebatur: excepto quòd Romæ semel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone eius successore supplicante, longa tunica, & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, induebatur.* Quamobrem vestis illa reliqua, præter paludamentum, & Augustalem coronam, tota Francica est, & Carolo consueta ac familiaris, quam ita describit Eginhartus. [b] *Ad corpus camisiam lineam, & fœminalia linea induebatur: deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia: tum fasciolis crura, & pedes calciamentis constringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus, cuius capulus ac baltheus, aut aureus, aut argenteus erat: aliquoties & gemmato ense vtebatur: quod tamen non nisi in præcipuis solemnitatibus, vel si quando exterarum gentium legati venis-*

Caroli M. vestis patria.

[a] *in vit. Car.*

[b] *Ibidem.*

Tunica. *veniſſent, faciebat*. Vides hic tunicam prætextam quidem, non tamen talarem, qualem Romanorum Patriciorum fuiſſe oſtendimus; Carolumque adhuc Patricium Leonis rogatu induiſſe Eginhartus narrauit. Crura præterea vides faſciolis inuoluta, quod & in altera Caroli è templo ſanctæ Suſannæ deprompta imagine licet obſeruare; ex quo Eginharti loco Pompeum Vgonium, & Angelum Maſſarellum errore lapſos facile intelligas, qui faſciolas, cum, ex candore de armis acceperint, armatum Carolum ex his imaginibus nobis exhibuerunt. Sed hodieque tibialia, ſub genu, ne defluant, breuioribus faſcijs nos aſtringimus, veteres longioribus, perpetuiſque, à talis ad genua, crura conueſtiebant; crurales eæ faſciæ dicebantur. De Caroli Magni corona [a] Eginhartus: *Diademate*, ait, *ex auro & gemmis ornatus incedebat*; eius formam [b] Ingobertus coloribus quidem delineauit, ſed huius longè diſsimilem. Regum illa eſt nimirum propria, hæc Imperatoria, qualis inde à Leone Daco, alijſque deinceps Auguſtis Illyrijs inoleuit, Macedonum ſcilicet Cauſia, quam regio diademate ornatam [c] Athenæus dicit, [d] Plutarchus verò Καυσίαν διαδηματοφόρον appellat, Caſsidi perſimilem, ob eamque figuram Καισαρείκιον φακιφαλάιαν *galeam Cæſarianam* [e] Theophanes vocat, quæ cum ſuperiore parte contecta ſit, *Regnum Epanocliſtum* [f] à Bibliothecario nuncupatur;

Faſciæ.

Corona.

[a] *in vit. Car.*

[b] *ſup. hoc cap.*

[c] *Dipn. lib. 12.*

[d] *in Anton.*

[e] *in Chron.*

[f] *in vit. Pont. paſſim.*

ad

ad idque coronæ genus alludit [a] Sugerius, vbi ſtemma Pontificium deſcribit: *Phrygium, ornamentum Imperiale inſtar galeæ circulo aureo concinnatum*. Eiuſmodi videmus hic Caroli diadema; neque enim dubium eſt Leonem III. coronam, qua Carolus donandus, ac Cæſar deſignandus erat, talem planè curauiſſe, vti tum erat mos & ingenium, qualem ſcilicet eius ſeculi, ac tempeſtatis Auguſtorum reddunt nomiſmata, quæ omnium manibus teruntur Leonis Iſauri, Conſtantini Copronymi, Leonis qui proximè imperauit, Conſtantini Irenæ filij, Nicephori Logothetæ, & Michaelis Rangabis, quorum coronæ forma cum hac ſi conferatur, tam conſimilis eſt, quàm eſſe poteſt. Conſtantinus porrò Magnus cuiuſmodi ſit vſus corona, non illius nummi modò, ſed altera huius etiam emblematis pars oſtendit; vt ſomniare prorſus videatur, qui [b] *cum ipſo Conſtantinianeo ſtemmate Leonem Pontificem ius Imperij in Carolum tranſtuliſſe* affirmat ex [c] Ermoldo Nigello

Tum iubet afferri gemmis, auroque coronam
Quæ Conſtantini Cæſaris ante fuit.

Nam ſi, dum Ermoldus adhuc latitat, eius licet ſententiam ex vno illo, quod profertur carmine, elicere: QVÆ Poëtarum more vſurpauit, cum dicere oportuiſſet, *qualis* fuit Conſtantini corona, hoc eſt ornatu, ſplendore, dignitate planè Imperialis.

[a] *in vit. Lud. Craſſ.*

[b] *Anonym. de Donat. Conſt.*

[c] *apud eund. Anonym.*

rialis. Sed quis fœdius labitur Anonymus hic, qui Corona olim à Conſtantino Pontificibus conceſſa Carolum redimitum affirmat, an [a] Franciſcus Iunius, qui Romanos Pontifices per id temporis geſtaſſe, & ad hanc ferme diem retinere Clodouei Francorum Regis diadema contendit? *Illa ipſa*, inquit, *corona illud Regnum, quod hodie imponitur capiti Pontificis, eadem eſt, quam Anaſtaſius Imperator Clodoueo dedit, & Clodoueus Pontifici*. Vnde id Iunius habeat, ſi quæras; [b] Sigibertum profert, qui ait, *Ipſe verò, Rex Clodoueus miſit Romam ſancto Petro coronam cum gemmis, quæ Regnum appellari ſolet*. *Regnum* autem dici Pontificum diadema cum Iunius legerit, homonymia lapſus eſt planè pueriliter. *Regnum* verò Clodoueus Romam miſit quidem, ſed beato Petro miſit, non Hormiſdæ Pontifici, quod ſcilicet ad Aram Vaticanam religionis ergò ſuſpenderetur, non quo Pontifices coronarentur. Ad Aram porrò illam non Clodouei tantùm, ſed innumeras Regum, & Imperatorum coronas dependiſſe nouit, qui Anaſtaſij, & aliorum legit hiſtorias. Sed eo conſilio Iunius, quæ modò Pontificum eſt corona, Clodouei fuiſſe demonſtrare adnititur, vt Imperij dignitatem in Carolum non à Leone Pontifice, ſed à Clodoueo Francorum Rege deriuatam oſtendat. Nam Clodoueus ab Anaſtaſio Auguſto (ſic ille ratiocinatur) quemadmodum Imperatoris nomine,

[a] *de tranſl. Imp. cont. Bellarm.*

[b] *in Chron.*

ita

ita & corona donatus est. Non simplici illa quidem, ac vnius coronamenti, qualis est Regum; sed coronamenti triplicis, sicut est Imperatorum. Quod, inquit, planè indicat Pontificum Romanorum tiara, quam illis dono misit Clodoueus. Sed vide quid sani sit in Iunij hac ratiocinatione. Primò quidem (vt dixi) Clodoueus coronam sancto Petro, more maiorum, dicauit. Deinde tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestauit, ante annos, non amplius, ducentos quinquaginta, Vrbanus V. duplicis verò Bonifacius VIII. nam superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus, ac monumentis vnius coronamenti, & Romæ cernimus, & [a] Sugerius describit: *Capitis eius* (Innocentij IV.) *phrygium, ornamentum Imperiale, instar galeæ, circulo aureo concinnatum imponunt*. Præterea tergeminam Augustorum coronam nulla (post Cæsarum memoriam) dant æra, lapides, anaglypha, signa, vel monumenta. Demum esto, corona Imperatoria, ac ea planè, quam sibi Iunius fingit, Clodoueum Anastasius sit impartitus; non statim ille Romanorum fuit Imperator iustus, ac ordinarius, vt ita dicam, sed honorarius. Honorarios autem Imperatores titulo tenus, aut veste, iurisdictione autem, vel autoritate nudos, ac vacuos, non vnum, aut alterum inuenias. Post Anastasium enim, qui Clodoueum fecit, Iustinianus Augustus Aretham Sara-

[a] *Ibidem.*

cenorum Ducem,[a] Imperatorem nominauit.[b] Bulgarorum Principes ita ab Orientis Imperatoribus tum maximè dicti sunt, cùm eius nominis honor (vt paulò post dicam) Occidentis Imperatoribus inuidebatur. Cultum verò Cæsareum Lazorum Regibus concessum olim fuisse memorat[c] Agathias; idem &[d] Bulgaris deinde habitus honor; idemque à Iuliano Augusto, vt[e] Zosimus scribit, Procopio consanguineo suo, qui post Iuliani cædem vestem Imperatoriam deposuit. Ad hunc fermè modum imperatorium nomen, mundumque ab Anastasio Cæsare traditum Clodoueus obtinuit. De Caroli vexillo proximo capite disputabimus. Hic verò ex comparatione cum signo, quod in altera tabula Constantinus præfert, quò id Caroli spectet, quisque facilè potest intelligere. Nam ad vexillum Carolo Patricio in Gallias à Leone transmissum nemo prudens hoc referat; nisi verò omnia hic absona, extra modum, extra tempus, extra historiam depicta quis existimet. Siquidem Vrbis vexillum quinquennio ante Leonis restitutionem Carolus accepit; accepit autem non Romæ, non in suburbio ad aram Principis Apostolorum, non de manu Pontificis, sed alicubi trans Alpes à Pontificijs Legatis; accepit denique non cum Populus Romanus VITAM, vt hic legis, LEONI. PP precabatur, sed cum à primoribus Reipublicæ in eius

[a] *Procop. lib. 1. Bell. Pers.*
[b] *Luitpr. in Legat.*
[c] *Histor. lib. 2.*
[d] *Io. Curopal. in Tzemisc.*
[e] *Histor. lib. 4.*

Ad secundam rationem. De Caroli vexillo.

eius vitam conspirabatur. Quinta restat causa, quam primo loco proposui, ea nos ipso monumenti titulo anxius vrgere videtur, in quo Imperatoris quidem minimè, Regis autem non semel inscriptum nomen apparet. Regis, ac Imperatoris nominum discrimen nonnullum aliquando quidem fuisse, aliquando verò nullum fuisse statim intelligetur. Post translatum autem à Leone Pontifice ad Gallos Imperium Romanum, tantam Carolo, eiusque successoribus Imperatoris titulus inuidiam conflauit, quanta in litteris Ludouici iunioris ad Basilium Imperatorem Græcorum, & in Legatione Luitprandi legitur. Ita vt Occidentis Imperatores non nisi ῥῆγας, ideſt *Reges* appellandos Græci contenderint; se verò solos βασιλέας; adeò vel sono eius vocis assueuerant, vel notionem non animaduertebant. Neque enim græcè βασιλεὺς est Imperator; quod neque Lacedæmones, neque Athenienses abnuunt, neque vetus Græcia vniuersa. Quare qui olim imperium tenuerunt Romani Principes in Græcis inscriptionibus, ac nomismatis αὐτοκράτορες, quàm βασιλῆς, à Græcis dici maluerunt. Sed aliter post Constantinum vsus obtinuit, quando αὐτοκράτορες nomen, rariùs audiri, ac non nisi in Cæsarum fermè Diplomatis; à Christianis verò, præsertim Ecclesiasticis, omninò posthaberi cœpit, ob eam quam præ se fert arrogantiam, βασιλέως autem titulus vsurpari,

Ad primã rationem.

De Imperatoris, & Regis nominibus.

pari, qui & domeſtica Chriſtianorum conſuetudine probaretur, & diuinarum vſu litterarum ac penè teſtimonio, ab omni procul faſtu eſſe videretur. Cæterùm Imperatores Regum nomine denotatos fuiſſe, ex Latinis profanarum litterarum monumentis probare difficile non eſt; imo tam facile, vt in iocis ipſis huius rei teſtimonium inuenias; teſtimonium verò æquè luculentum, ac vſitatum dicendi genus, vnde iocus deſumptus eſt: *Mirabile fortaſſe videatur*, inquit [a] Trebellius, *ſi quæ origo imperij Regilliani fuerit, declaretur; Militari enim ioco regna promeruit. Nam cum milites quidam cum eo cœnarent, aſſitit Valerianus Tribunus, qui diceret, Regilliani nomen vnde credimus dictum? Alius continuò: Credimus, quòd à regno. Tum is qui aderat Scholaſticus, cœpit quaſi grammaticaliter declinare & dicere. Rex, regis, regi, Regillianus. Milites, vt eſt hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt. Ergo poteſt rex eſſe? item alius: Ergo poteſt nos regere? item alius: Deus tibi regis nomen impoſuit. Quid multa? His dictis, cum alia die mane proceſſiſſet, à principijs Imperator eſt ſalutatus.* Eandem vocis acceptionem Ethnicis in vſu fuiſſe docere ex Chriſtianis poteſt Tertullianus, qui non ſolùm in ijs libris, quos ad [b] noſtros edidit, publica pro Imperatoribus ſuſcepta vota, eorumque Conſecrationes, *Regum ſolemnia*, & *Reges in cœlum receptos* dixit; ſed in ipſis etiam ad [c] Nationes conſcriptis monumentis id obſeruauit. In Chriſtiano-

Imperatoribus tributum Regis nomen.

[a] *in Regilliano.*

[b] *De ſpect. c. 30. Ad Vxor. lib. 2. cap 6.*

[c] *ad Nat. lib 1. c. 10. lib. 2. c. 10.*

stianorum autem historijs, passim Regis nomen Imperatoribus accommodatur, nec apud Rufinum tantùm Romanorum ecclesiasticæ historiæ scriptorum antiquissimum, qui Græcum ipsum βασιλέως nomen, quo Eusebius Imperatores Romanos semper appellauit, *Regem* sæpe conuertit; sed etiam apud Anastasium, & alios posteriorum seculorum autores Caroli Magni ætate ferè coniunctos. Mitto alios, en tibi Leo III. qui in altera huiusce mu-siui tabula Constantini Imperatoris imagini inscribi iussit: R. CONSTANTINVS. Quamquam, vt de Carolo ipso Imperatore dicamus; Albinus Flaccus in ijs epistolis, quas ad illum scribit, sæpissimè eundem Regem, eundemq. Imperatorem vno orationis contextu nominat. [a] Matthæus autem Vest-monasterienſis insignia Carolo Imperatori à Leone concessa, *Regalia* vocat, quæ Anastasius ex Theophane, *Imperialia* conuertit. *A Domno Papa Leone purpura regali induitur, corona aurea capiti eius imponitur, & regale sceptrum ei in manibus datur.* Quemadmodum Constantini Imperatoris habitum, *Regium*, [b] Victor appellauit. Quis præterea nescit Carolo Magno *Regis* nomen multò magis, quàm *Imperatoris* glorioſum fuisse, quòd hoc illi dies vna, plebisque fauor pepererit, illud verò secum vnà natum, à maioribus acceptum, infinitis deinde exterarum gentium victorijs, atque triumphis proprium, suumque fecerit?

[a] *in Floribus.*


[b] *in Constant.*

rit? Præterquàm quòd ab *Imperatoris* nomine Carolus aliquando abhorruit, tum modestia singulari, tum etiam Græcorum inuidia. *Romæ Imperatoris,* inquit [a] Eginhartus, *& Augusti nomen accepit: quod primò tantùm auersatus est, vt affirmaret se eo die, quamuis præcipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Inuidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras Legationes, & in epistolis fratres eos appellando.* Sanè Caroli modestia Leonem, qui eos in Triclinio titulos inscripsit, minimè latebat; imo Pontifex ita inscripsit, vt Carolo placere, atque ex eius animi sententia omninò esse nouerat. Neque enim hic primus, vel vnus est Caroli titulus, à quo, ille, iam dudum imperium adeptus, *Augusti*, vel *Imperatoris* nomen excluſit. *Principem*, tantummodo in ea Basilica poni iussit, quam, post acceptos Imperij fasces, exornauit, dedicauitque, & in qua sibi monumentum collocauit. *Erat in eadem Basilica*, inquit [b] Eginhartus, *in margine coronæ, quæ inter superiores, & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, Sinopide scriptum; continens quis autor esset eiusdem templi, cuius in extremo versu legebatur*, PRINCEPS. CAROLVS. Nummos denique, ab accepto Romanorum Imperio, simplici *Romanorum Regis* nomine cudi Carolus iussit.

[a] *in vit. Car.*

[b] *in vit. Car.*

Magnam



Magnam eorum copiam nummorum, ante hoc quindennium, effodi vidimus ex eo Leonis III. Triclinio Vaticano, quod (vt ordo historiæ apud Bibliothecarium demonstrat) Carolo iam pridem renunciato Imperatore, ad gradus Basilicæ Principis Apostolorum, à Leone conditum [a] supra memorauimus. [a] *cap. 1.* Neque in rem suam nummi inscriptionem Francisco Iunio, ijsque trahere licebit, qui Caroli Patriciatum de Rege Romanorum accipiunt; quantùm enim à Regia, nedum ab Imperatoria maiestate Patriciorum dignitas, gradus, nomenque distaret, liquidiùs, quàm ad hanc diem disputatum sit, indicauimus.

AN IVS, ET AVTORITATEM IMPERII transferendi hæc tabula contineat. Cap. XIV.

TRANSLATIONEM quidem Imperij hoc, vt ostendimus, emblema vndique exhibet, siue primam eius faciem intueare, siue titulos inscriptos, acclamationesque perpendas, siue cum altera eidem mutuò respondente imagine conferas, quæ Constantini reddit Imperium; vtramque enim Leo, veluti παραλλήλως, inter se comparauit. Non solùm autem

transla-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [153] - 135
PUBLIC DOMAIN

Ius transferẽdi Imperium in hac tabula. [a] *cap. 10.*

tranſlatum Imperium, ſed eiuſdem transferendi ius, autoritatemque, ſi animum aduertamus, illud triplicis clauis hieroglyphicum, de quo [a] ſupra diſſeruimus, & ſtatim vberiùs dicam; quin & nuda ipſa illis inſignibus imago per ſe ſe refert, ac penè loquitur. Contemplentur tabulam qui Carolum Magnum, vel armorum contentione, vel hæreditario iure, vel Senatus Populique Romani ſuffragio Imperium Romanorum inijſſe contendunt. Vnum prorſus agnoſcit tabula Leonis, & Caroli dignitatis autorem Petrum Apoſtolorum Principem, Romanam, inquam, Eccleſiam. Imperij faſces ſi aliunde Carolus accepiſſet, quid hoc Leonis monumento incredibilius? imo quid excogitari ambitioſius, vel pictura exprimi audacius, vel Carolo, Populoque Romano proponi turpius ob oculos potuiſſet? Quàm grauiter Leo Caroli animum offendiſſet, cuius ampliſsima, eaque recentiſsima in illum extabant beneficia? Quàm perniciosè inuidiam, odiaque Populi Romani in ſe concitaſſet, quo cum in gratiam tum primùm redierat? Quàm leuiter denique alienum factum ſibi, Eccleſiæque Romanæ adſcripſiſſet, idque publicè, ac tam alieno ſui Pontificatus tempore? Putamus Senatum, Populumque Romanum ab hoc monumento, quo Reipublicæ libertas, autoritas, imperium, tam apertè, tam grauiter læderetur, manus

abſti-

abstinere voluisse, aut potuisse, quando ad excutiendam Pontificum dominationem, non solùm extincto iam Leone, suburbij mœnia, [a] quæ ille posuerat, disiecit, ac funditus euertit; sed etiam eidem viuo manus nefarias inijcere non dubitauit? Hic fortasse [b] Iunius ad argutias illas suas, acumenque confugiat: Leo Carolum creauit Imperatorem *signo, non facto;* Imperij contulit *insignia, non Imperium.* Si quo autem modo Carolum Leo Imperatorem *facto* creauit, id vt *partiaria causa* fecit, non aliter ac quilibet è Senatu Romano. Leo, inquit, vt quilibet è Senatu? Non ne audit Senatum, Vrbemque vniuersam hic acclamantem Leoni? Sed acclamatur, inquit, Leoni tanquam Senatus, Populique primario. Cedò quo potissimum nomine, quo titulo fuit Leo Reipublicæ Romanæ primarius; id quidem dissimulare planè non licet, quod ipsa statim prodet inscriptio, de qua [c] supra pluribus. In ea enim Leonem Populus Romanus DOMINVM NOSTRVM, suum scilicet, appellat. Ita ne ergo *Dominum* in subditorum ordinem redigat, vt causam Iunius partiariam dicat? Non ita sanè Carolus Magnus, qui vni Romano Pontifici acceptum refert Imperium, neque eam rem ad Senatum, Populumque Romanum quicquam attinuisse, vel verbis aliquando indicauit, vel facto docuit. Quod vt manifestissimè constet, argumenta cum ex ijs

[a] *Anast. in Leon. IV.*

Sententia F. Iunij de iure Imp. transferéndi.

[b] *adu. Bellar cap. 4.*

[c] *cap. 12.*

Diuisio disputationis, & argumentorum.

S causis,

cauſis, quæ Imperij tranſlationem anteceſſerunt, tum ex coniunctis, tum demum ex ijs, quæ ſunt conſecutæ, deſumam. Faciam id verò breuiſsimè; neque Caroli propinquorum memorias tranſiliam; quòd vnum illorum teſtimonium, ad rem hic conficiendam, mea quidem, & bonorum ſententia ſatis videatur, ac inſtar omnium. Quis enim Imperij tranſlati rationem, formamque nos veriùs doceat, quàm qui primi ex Pontificum autoritate Imperatores fuere? Principiò quidem pono quod eſt veriſsimum; Romanum, hoc eſt, Chriſtianorum Imperium duo illa in primis complecti, ſummam inter Chriſtianos omnes Principes dignitatem, à quibus Cæſar quaſi Pater Patriæ ſuſpicitur; & Eccleſiæ Defenſionem, quam illi quidem ceu Primipili, Cæſar verò tanquam Legionum Imperator ſuſcipere tenetur. Atqui Carolus Magnus ab vno Leone III. Romano Pontifice, & ſummum ius dignitatis, & Eccleſiæ tuendæ munus accepit; tota igitur, vniuerſaque Imperij tranſlati cauſa Leo fuit. Id quod in tabula exprimere autor non prætermiſit; quem enim admodum pallio Petrum amiciuit, vt Eccleſiæ Romanæ in Leone reſtituendo autoritatem ob oculos ſtatueret; ita ius inaugurandi Carolum Imperatorem tergemina claue, vt [a] ſupra declaratum eſt, indicauit. Clauis namque duplex, ligandi ſcilicet, ſoluendique autoritas penes alios eſt

I. locus argumentorum ex ijs, quæ præceſſerũt transl.

Vnde Põt. Rom. ius transferẽdi Imp.

[b] cap. 10.

est etiam Ecclesiarum Antistites: facultas verò secularia ad religionis amussim dirigendi, Rerumque publicarum statum temperandi, & ad Christianæ pietatis censuram Regna, & Imperia moderandi; Apostolica planè est, & summa Ecclesiastica potestas. Quæ, vt [a] supra exposui, licèt à ligandi, soluendique potestate proficiscatur; illi tamen iure solummodo conuenit, qui vnus omnium est Pater, Censor religionis, ac benè, beatèque viuendi Magister. Is ergo cum Romanus sit Pontifex, eius sanè fuerunt partes, ad regendum Imperium, quod à religione iam aberrarat, & pietatis præceptoribus Romanis Pontificibus bellum indixerat, hominem designare, qui, & religionis, & Ecclesiæ Romanæ religionis magistræ causa, omnia vellet. Hæc autem cura non Senatum, Populumque, sed Pontificem Romanum tangebat religionis arbitrum. Eam porro fuisse originem, vnde Carolus, eiusque filij, ac nepotes Romanum adepti sunt Imperium, Ludouicus Iunior Caroli pronepos à maioribus, non secus ac Imperium, per manus accepit, testatumque reliquit. [b] *Propter orthodoxiam*, inquit, *regimen Imperij Romani suscepimus, Græci verò propter cacodoxiam Romanorum Imperatores existere cessauerunt.* Paulò verò ante dixerat: *Porrò si calumniaris Romanum Pontificem quod gesserit, calumniari poteris & Samuel, quòd spreto Saule, quem ipse vnxerat, Dauid in Regem vngere non renuerit. Ve-*

[a] cap. 10.

Prima causa antecedés transl. Imp.

[b] Epist. ad Basil. Imp.

rùm ſuper hoc ſi eſt qui ſummo Pontifici ſaltem vnum faciat muttum, congruo profecto illius non carebit reſponſo. Primò quidem, ait, quòd Eccleſiæ Romanæ periclitanti ferre ſuppetias abnuerint Græcorum Imperatores; deinde quòd Romanos Pontifices ipſi vexarint, & oppreſſerint. *Verùm hæc*, inquit, *Pontifices, quæ extrinſecus agebantur facilè paruipenderunt, niſi & intrinſecus, quæ per diuerſas hæreſes perimere conantium molimina deprehenderunt. Vnde merito Apoſtatis* Græcis *deſertis, adhæſerunt genti* Francorum *adhærenti Deo, & ipſius regni fructus facienti*. Cum igitur non nudum Imperij nomen, ac dignitatis vacuum Carolo Magno collatum à Leone fuerit, ſed quod Græci Cæſares, antequam eo ſpoliarentur, obtinebant; integræ Imperatoriæ dignitatis cauſam integram fuiſſe Eccleſiam Romanam liquet: *Ex qua*, idem[a] Ludouicus ait, *regnandi prius, & poſtmodum imperandi autoritatem proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumpſit. Nam Francorum Principes, primò Reges, deinde verò Imperatores dicti ſunt, ij duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt*. Cum verò ex crimine violatæ religionis (vt Imperator palam Imperatori exprobrat) Imperium Carolo decretum ſit à Leone, eã totã cauſã iuris fuiſſe Pontificij, ad Senatum verò, Populumque Romanum, nihil omninò pertinuiſſe, nemo non videt. Quod & Sacramentum à Carolo Magno, eiuſque in Imperio ſucceſſoribus non Senatui, ſed Pontifici Romano

[a] *Idem.*

mano dictum comprobat; comprobat Imperij confirmatio, quam ab vno Pontifice Maximo Ludouicus Caroli Magni filius, posterique petierunt; de quibus modò differam; nam de Romanæ Ecclesiæ Defensione, quæ altera ratiocinationis pars erat antea dicamus. Ad Imperij fastigium Carolus eodem planè est euectus consilio, quo Patricius pridem fuerat à Pontificibus constitutus. Scilicet vt Ecclesiæ Romanæ partim Barbarorum incursionibus, partim Hæreticorum perfidia periclitanti, armis, ope, patrocinioque Caroli *filij per arma*, [a] vt dixi, iam tum *adoptati* consuleretur. Quem ergo antea *Patricium Defensorem Ecclesiæ* quæsiuerant Pontifices, eundem *Cæsarem Ecclesiæ Defensorem* Leo postmodum habuit, rituque solemni publicè renunciauit. Atqui totam posterioris designationis causam Pontificem fuisse non ambiget, cui constiterit eundem totam fuisse causam Caroli quoque Patriciatus. Petijt ille, extincto iam Adriano, eam sibi renouari Præfecturam: à quo vero? Legationem ea de re grauissimam, plenamque desiderij Romam destinauit: ad quem autem? Vt ea sibi dignitas, quàm ardentissimè ambiebat, concederetur; *pactum* promisit, *fœdus* proposuit, *fidem* spopondit: at cui tandem? Num Senatui, Populoque Romano? certè vbi de re tanta Carolus egit cum Leone Pontifice, adeo nullam præ illo rationem ciuium Romano-

Secunda causa antecedens trãsl. Imp.

[a] *cap. 11.*

Patriciatus, & Imper. transf. idem autor.

rum

rum duxit, ducendamque intellexit, vt in ea Legatione ne nomen quidem illorum admiſerit, quin omnem ex ea Senatus, Populique Romani memoriam abiecerit; [a] *Illique* (Angeberto) *iniunximus*, inquit, *vt ex collatione mutua* (cum Leone Pontifice ad quem ſcribit) *conferatis quidquid ad Patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum beatiſsimo prædeceſſore veſtro ſanctè paternitatis pactum inij, ſic cum Beatitudine veſtra eiuſdem fidei, & charitatis inuiolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ ſanctitatis veſtræ, diuina donante gratia, Sanctorum aduocatis precibus, me vtique Apoſtolica benedictio conſequatur, & ſanctiſsima Romanæ Eccleſiæ Sedes, Deo donante, noſtra ſemper deuotione defendatur*. Extollat hic Patriciam Caroli dignitatem [b] Iunius plena quantum libet manu, & maieſtati exæquet Regiæ, vel Imperatoriæ [c] Goldaſtus inſolubili nexu coniungat: quidquid maximum de ea dicturi ſunt, totum pendere Carolus affirmabit ex vna cauſa, Leone Pontifice Maximo. Inde eſt, quòd cum ſuæ Carolus dignitatis munus, officiumque denotat *Patricium* ſe ipſe *Romanorum* appellat; cum verò dignitatis originem explicat, quæ tota ex fœdere, pactoque cum Pontifice inito manabat, à quo & in liberi locum adoptatus fuerat, *Pontificis*, vel *Eccleſiæ Filium*, non item Senatus, Populique Romani, ſe nominat. Neque Populus Romanus vnquam dicere auſus eſt, Stephanus verò Pontifex iure meri-

[a] epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.

[b] adu. Bellarm.

[c] aduerſ. Gretſer.

meritoque dixit FILIOS MEOS ADOPTIVOS Pipinum, liberosque eius Carolum, & Carolomannum, cum ad illos iam tum Romanorum Patricios Triumuiros perscribebat. Quoniam verò non vnus Carolus Magnus, sed parens, fraterque Patricij Romanorum fuere, cedò ex his vnum, qui suæ huiusce dignitatis confirmationem, vel à Senatu, Populoque Romano petierit, vel à singulis quibusqu tunc in Pontificatu succedentibus Romanis Episcopis non acceperit? Fidem quam Leoni Carolus in ea Legatione obtulit, eandem [a] Stephano III. Pipinus dedit, [b] Paulo I. confirmauit, [c] Stephano IV. Carolus, & Carolomannus professi sunt. Quibus ille: *Recordamini peto excellentissimi filij, quomodo vobis fideliter dicere visus est præfatus vester Dominus, ac Genitor, promittens in vestris animabus Deo, & beato Petro, atque eius Vicario antefato sanctæ recordationis prædecessori nostro domino Stephano Papæ, firmiter vos debere permanere erga sanctæ Ecclesiæ fidelitatem, atque omnium Apostolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam caritatem. Et postmodum prædecessori nostro domino Paulo Papæ, eadem vos vna cum eodem vestro genitore certum est plerumque per Missos, & scripta promisisse; & post decessum antefati sanctæ memoriæ patris vestri, & vos ipsi sæpius tam per vestros Missos, quamque per litteras, simulque & per Sergium fidelissimum Nomenclatorem, & per alios nostros Missos nobis spopondistis, in eadem vos vestra promissione, sicut genitor vester, circa sanctam*

Patriciatus confirmatio à Pôt. Rom.

[a] *Annal. Franc. & ep. 1. & 2.*
[b] *epist. 1. 20. 28.*
[c] *epist. ad eosdem.*

dam Dei Ecclesiam, & nostram fidelitatem esse perseueratu-
[a] epist. 30 & 32. *ros.* [a] Adriano denique I. eandem Carolus fidem, *ad sancti Petri Confessionem,* ratam firmamque habuit. Scilicet quibus acceptam Patriciatus dignitatem referebant, ijs & sacramentum Pipinus, liberique eius dixerunt; non Senatui, Populoque, sed Ecclesiæ Romanæ, *Deo,* inquit, *& beato Petro, atque eius Vicarijs & nobis.* Quod ijdem Pontifices suis ad eosdem Patricios epistolis sæpe sæpius inculcant, illudque iuramentum *fidelitatis* appellant. In quam sententiam
[b] epist. 84. ad Leon. apud Alcuin. Carolus ad Leonem, [b] *Relectis,* ait, *excellentiæ vestræ litteris, & audita Decretali Chartula, valde, vt fateor, gauisi sumus, seu in electionis vnanimitate, seu in humilitatis nostræ obedientia, & in promissionis ad vos fidelitate.* *Ad nos* perperam habent libri Parisijs editi, quos ex ea Stephani IV. epistola corrigere licet. Nam Carolus qua Romanus Patricius, hoc est, Vrbis Præfectus, & Ecclesiæ Romanæ Defensor *obedientiam,* & *fidelitatem* Pontifici profitebatur. Quàm importunè igi-
[c] Iunius loc. cit. tur [c] isti nobis occinunt Populi Romani acclama-
[d] Ration. con. Imp. tiones, & [d] Goldastus illud Ottonis Frisingensis: *Ipse verò* Carolus Magnus *acclamante populo vniuerso Patricius Romanorum appellatur.* Acclamatum quidem est à Populo, sed Adriani factum ille modò probauit; quam etenim autoritatem in eo facto Populus, atque Senatus habuit, qui Carolo ipso teste, nullam habuit? Vide quid in eam rem Senatus con-

ferre

ferre potuit, qui tum à Leone III. in diuersas factiones recedebat, cum Leo Carolum Patricium, & Ecclesiæ Romanæ Defensorem renunciauit. Qua ille vna renunciatione fretus (nihil enim ad sui Patriciatus stabilitatem requiri præterea sentiebat) tandem Romam venit, & (quod Patricij munus erat) rebellionem cohibuit, ac perduelles Leoni subiecit. Duæ autem eodem tempore de Patriciatu Romano Legationes altera Pontificia, Regia altera vltro citroque commearunt. Carolus, ne Adriano Pontifice iam vita functo, alteri Patriciatus à successore decerneretur, instaurari sibi eam dignitatem per Angebertum à Leone petebat. Leo rursus vt rebelles Romanos in officio contineret, Carolo Patriciatum vltro confirmabat; missis ad eum clauibus Confessionis sancti Petri, Vrbisque vexillo. Quorum insignium duorum altero quidem Ciuilis, altero verò Ecclesiasticæ rei defendendæ facultas Carolo deferebatur. Neque enim claues illæ (quod clarissimorum [2] virorum pace dixerim) huiusmodi erant, quales *eulogiæ*, & *benedictionis* gratia Gregorius Magnus Regibus, Principibus feminis, atque adeo etiam amicis mittit; sed quibus templi Vaticani aptabantur fores, vel quibus Petri monumenti adyta, & penetralia seruabantur. Hasce, & munera, quibus Leo Carolum prosecutus est, disertè distinguunt autores; disertèque

Carolo M. cur claues, & vexillum mittitur.

[2] *Bellarm. de transl. li. 1 c. 13. Baron. ad ann. 796.*

omnes non *eulogias* vocant, ſed *claues Confeſsionis ſancti Petri*, eaſque tum maximè miſſas affirmant, cum Caroli patrocinium implorabatur. Perſpecta res erit, ſi eius originem, fontemque aperiamus. Nam ſi ad ea interpretamenta noſtri confugiunt, vt cauillos ſoluant Hæreticorum, qui per *Claues*, atque *Vexillum* Carolo conceſſum Vrbis dominium volunt; hos nihil æquè, vt ipſa rei veritas eludit, quam nudè, ſincerèque proponimus. Poſt excuſſam à Gregorio II. Pontifice Leonis Iſauri Imperatoris Hæretici dominationem, Gregorius III. ſucceſſor primus exterorum Principum auxilia, & ſocietatem quæſiuit ſibi, & Eccleſiæ Romanæ. Quæſiuit autem à Carolo Martello per binas Legationes, quibus ei *Vrbanam Præfecturam* obtulit, & *Defenſionem* ab eodem exegit. Illam quàm liberaliter Gregorius polliceretur, hanc quàm ardenter expeteret, ita declarauit, vt nihil tam dignum, tam ſanctum Romæ haberi Carolus Martellus intelligeret, quod non ſub eius præſidio eſſe Gregorius vellet, quando *Confeßionis ſancti Petri claues* in illius manus vltro conijceret. [a] *Coniuro te* (inquit Gregorius Pontifex) *per Deum viuum, & verum, & per ipſas ſacratiſsimas claues Confeßionis beati Petri, quas vobis ad regimen direximus, vt velocius ſub nimia feſtinatione ſentiamus, poſt Deum, tuam conſolationem ad noſtram Defenſionem.* Hæc quidem in ſecunda Legatione; primæ autem, quæ

[a] epiſt. ad Carol. Martell.

quæ intercidit, ita sententiam, qui vidit Autor, expressit. *Eo tempore bis à Romana Sede sancti Petri Apostoli beatus Papa Gregorius claues venerandi sepulchri cum vinculis sancti Petri, & muneribus magnis & infinitis, & Legationem (quod antea nullis auditum, aut visum temporibus fuit) memorato Principi destinauit: eo pacto patrato; vt à parte Imperatoris recederet, & vt Romanum Consulatum præfato Principi Carolo sanciret.* *Append. ad Greg. Turon. c. 180.*

Consulatum vocauit Patriciam dignitatem, & ciuilem Vrbis administrationem, quam *Regimen* superiore epistola dixit. Quod *Regimen* Carolo Magno cum Leo III. instauraret, ad *Claues* addit *Vexillum*, vt eò distinctius, & Ditionis, & Religionis tutelam eidem à se demandatam ostenderet. En tibi rem sua luce clarissimam. Claues ergo Adyti Vaticani missæ sunt; vt Carolo quidem Martello Ecclesiæ Romanæ tuendæ negotium daretur, Carolo autem Magno confirmaretur. Quale enim in Vrbe dominium Carolus Martellus vnquam exercuit? susceptam tamen ab illo Ecclesiæ Romanæ defensionem, fœdusque initum cum Gregorio III. Græcorum, Latinorumque historiæ, datæque ad eum epistolæ loquuntur. Cæterùm in hac tabula Vrbis vexillum Carolus Augustus accipit, quòd & si Patricij nomen, cum Cæsar declararetur, deposuit; Defensoris tamen officium retinuit, ad idque sacramentum Ecclesiæ Romanæ dixit. Secundum hoc causarum genus est,

II. locus argumentorum ex cauſis cõiunctis.

quo Pontificis Romani plenam Imperij transferendi autoritatem intelligimus; iuramentum à Carolo, eiuſque in Principatu ſucceſſoribus non Senatui, ſed Eccleſiæ Romanæ datum. Hic ego non mirer eſſe quemquam,[a] qui ſibi perſuadeat à Carolo Magno nullum Pontificibus Romanis dictum fuiſſe iuſiurandum, credatque commentitium eſſe quod Caroli nomine circumfertur? Hoc qui exiſtimat, non videt, vel non videre ſe ſimulat illam Caroli de petitione Patriciatus Legationem, quam hic crebrius inculcare cogimur. [b] *Sicut enim*, inquit ille, *cum beatiſſimo prædeceſſore veſtro ſanctè Paternitatis pactum inij, ſic cum beatitudine veſtra eiuſdem fidei, & charitatis inuiolabile fœdus ſtatuere deſidero.* Eſſe verò *pactum*, vel *fœdus* poſſe putamus, in quo fides non intercedat, aut religio?[c] Adrianus I. Carolo ſæpe in mentem reuocat Aram Vaticanam, & Principis Apoſtolorum penetrale, vbi pacta inierant;[d] Paulus I.[e] Stephanus III. & [f] IV. factæ Deo, & beato Petro pollicitationis Pipinum, liberoſque eius admonent; quam qui violauerit, eidem ſacris omnibus interdictum volunt. Equidem non inficior complures fuiſſe Reges, ac Principes Chriſtianos Eccleſiæ Romanæ Defenſores, qui ad id nulla pacti, vel fœderis, ſed ſola beneuolentiæ, ac vltroneæ pietatis lege tenerentur. Verùm, qui Defenſionem Eccleſiæ Romanæ cum Patriciatu coniunctam ſuſcipiebant, ij cer-

[a] *Goldaſt. in Ration. Conſt. Imp.*

[b] *epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.*

Patriciorum Iuramentum.

[c] *epiſt.* 30. & 32.

[d] *epiſt.* 20. & 28.

[e] *epiſt.* 1. & 2.

[f] *epiſt.* 1.

ij certis pactionibus agebant cum Romano Pontifice, eidemque se sacramento obstringebant; quod ex illa Caroli Magni Legatione, & ex Ludouici, & Caroli Calui fratrum iuramento intelligis. [a] *Mundeburdem autem, & Defensionem*, inquiunt, *sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariter conseruabimus: In hoc vt Romani Pontifices nobis debitum honorem conseruent, sicut eorum antecessores nostris antecessoribus conseruauerunt. Sic me Deus adiuuet, & isti sancti.* *Honor*, quem sibi maiorum exemplo conseruari petunt, est Carolo Martello delatum à Gregorio III. *Regimen* Vrbis, seu *Consulatus*, de quo modò dicebam. Conditiones enim, quibus Pontifices Maximi Ecclesiæ Romanæ Defensionem Francorum Regibus concrediderunt; ciuilis cum Romæ, tum in Pontificia ditione administratio fuit, certa forma, atque ratione, præscripta. Quæ cum honestissima fuerit amplissimaque, in eam nonnullos adduxit sententiam, vt crederent Carolum Magnum Romæ, ac in reliquis Pontificum Prouincijs rerum potitum fuisse; cum tamen in Pontificum ditione Carolus alienæ dominationis vicarius fuerit. Ad quod probandum, & si reliqua (quæ huius loci non sunt) desideraremus, vna hæc iuramentorum religio, ac forma satis superque esse posset. Pipinus liberique eius ambo pacta, conuentaque cum Stephano III. quo iureiurando sanxerint, vtraque eiusdem Pontificis euocatio plena terroris indicat.

[a] cap. 33. Edit. Sirmund.

Pontificum pacta cum Patricijs.

Consti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [167] - 149
PUBLIC DOMAIN

[a] epiſt. 1. [a] *Conſiderate*, inquit, *dilectiſſimi, & omnino percogitate (per Deum viuum vos coniuro) quoniam poſt Deum, & eius Principem Apoſtolorum, noſtræ omnium Romanorum animæ in vobis pendent; & ſi perire (quod abſit) eas contigerit, penſate in cuius animam reſpiciat id peccatum. Certè enim omnino credite Chriſtianiſſimi, ſi nobis aliqua euenerit calamitas (quod abſit) periclitandi, vos de omnibus ante tribunal Dei eritis reddituri rationem, &c. Ne ſi amplius neglexeritis nos eruendum, nobis irruat calamitas pereundi, & vobis pertineat ad magnum detrimentum, & peccatum, atque condemnationem in præſenti, & æterna vita, quia vobis animas omnium noſtrorum Romanorum tradidimus.* [b] Id ſeueriùs in altera euocatione, in qua Petrum Apoſtolum dicentem inducit: *Ecce, filij cariſſimi, prædicans admonui vos. Sin autem (quod non credimus) aliquam poſueritis moram, aut adinuentionem, minimè velociter hanc noſtram adimplendam adhortationem ad liberandam hanc meam ciuitatem Romanam, & populum in ea commorantem, & ſanctam Dei Apoſtolicam Eccleſiam à Domino mihi commiſſam, ſimul & eius Præſulem;*

[b] epiſt. 2.

SCIATIS. VOS. EX. AVTORITATE. SANCTÆ. ET VNICÆ. TRINITATIS. PER. GRATIAM. APOSTOLATVS. QVÆ. DATA. EST. MIHI. A. CHRISTO. DOMINO. VOS. ALIENARI. PRO. TRANSGRESSIONE. NOSTRÆ. ADHORTATIONIS. A REGNO. DEI. ET. VITA. ÆTERNA. Eandem Anathematis ſententiam Stephanus IV. in Carolum, fratremque eius Carolomannum pronunciauit,

uit, quò illos à coniugio cum Desiderij Longobardorum Regis, Ecclesiæ Romanæ crudelissimi hostis filia deterreret. [a] *Si quis vestrum*, ait (*quod non optamus*) *contra huiusmodi nostræ coniurationis, atque exhortationis seriem agere præsumpserit*, SCIAT. SE. AVTORITATE. DOMINI. MEI. B. PETRI. PRINCIPIS APOSTOLORVM. ANATHEMATIS. VINCVLO ESSE. INNODATVM. ET. A. REGNO. DEI. ALIENVM. ATQVE. CVM. DIABOLO. ATQVE. EIVS ATROCISSIMIS. POMPIS. ET. CÆTERIS. IMPIIS ÆTERNIS. INCENDIIS. CONCREMANDVM DEPVTATVM. Quæso, quæ hæc est obsecratio, inquies, plena execrationis, & minarum? Quin illud mirare maximè; Pipinum, & Carolum Francorum Reges ad periculosa belli certamina è remotissimis prouincijs, aliena de causa, ære, militeque suo venire, atque ad tantum impendium, & discrimen acerbissimis minis trahi. Id eò scilicet, quòd præter Romani Patriciatus honores, & commoda, quibus Caroli, & Francorum Regum in Romanam Ecclesiam meritum compensabatur, ijdem sacramento tenerentur, ijs planè verbis concepto, quibus hodie Reges, ac Principes se obligare, deque se mutuis armis tuendo cauere inter se consueuerunt. Audi syngrapham, atque conditiones, in quas Carolus iurauerat, à [b] Stephano IV. eidem productas: *Excellentiam vestram oportet meminisse, ita* VOS. BEATO. PE-

[a] epist. 13

[b] epist. 13

TRO

TRO. ET. PRÆFATO. VICARIO. EIVS. (Stephano III.) VEL. EIVS. SVCCESSORIBVS. SPOPONDISSE. SE. AMICIS. NOSTRIS. AMICOS. ESSE ET. SE. INIMICIS. INIMICOS; *ſicut & nos in eadem ſponſione firmiter dignoſcimur permanere*. Par ergo, & mutua hæc erat Pontificum, atque Regum Francorum inter ſe ſtabilita defenſio. Nec Stephano III. tantùm, qui primus cum Pipino, & Carolo Magno his conditionibus egit; ſed reliquis etiam Leonis III. præceſſoribus datum id fuit ſacramentum. Leoni quidem per [a] Angebertum Legatum Carolus ipſe fidem ſuam præſtitit. Acceptum ab eodem iuſiurandum non vnis litteris [b] Adrianus I. memoriæ poſteritatis commendauit; idemque cum cæteris anteceſſoribus minimè neglectum fuiſſe Stephanus IV. oſtendit. [c] *Recordamini peto excellentiſſimi filij, quomodo vobis fideliter dicere viſus eſt præfatus veſter Dominus, ac Genitor, promittens in veſtris animabus Deo, & beato Petro, atque eius Vicario antefato ſanctæ recordationis prædeceſſori noſtro domino Stephano Papæ, firmiter vos debere permanere erga ſanctæ Eccleſiæ fidelitatem, atque omnium Apoſtolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam caritatem: & poſtmodum prædeceſſori noſtro domino Paulo Papæ, eadem vos vna cum eodem veſtro Genitore, certum eſt, plerumque per Miſſos, & ſcripta promiſiſſe, & poſt deceſſum antefati ſanctæ memoriæ patris veſtri, & vos ipſi ſæpius tam per veſtros Miſſos, quamque per litteras, ſimulque, & per Sergium fideliſſimum*

[a] *epiſt. 84. ſup. cit.*

[b] *epiſt. 30. & 32.*

[c] *Ibidem.*

lissimum nostrum Nomenclatorem, & per alios nostros Missos nobis spopondistis, in eadem vos vestra promissione, sicut Genitor vester, circa sanctam Dei Ecclesiam, & nostram fidelitatem esse perseueraturos. Iam quæso in his omnibus tabulis inter Pipinum, liberosque eius, ac inter tot Pontifices instauratis firmatisque Senatum Romanum, eiusque autoritatem, vel memoriam omnibus vestigijs (si quæ vel leuissima Iunius odoratur) indaget. In ijs certè Pipinus, Carolus, & si quis alius, cum Pontificibus tantùm rem egerunt, Ecclesiæ Romanæ pacta iurarunt, beato Petro, atque eius successoribus sacramentum dixerunt. Quid Senatui, cum Ecclesia Romana, cum Petro, cum Pontificibus? Iam verò neque illud prætereundum videtur, quòd iuramentorum religionem mutuis beneuolentiæ declarationibus ij cumulare solerent, inter quos fœdus sanciebatur, vt hoc magis ratum, gratum, sanctumque haberetur. Ea verò tempestate singularis id erat argumentum amoris, vt fœderatorum liberi certis ritibus vicissim in familias reciperentur. Quare Carolus Martellus [a] *princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luitprandum direxit, vt eius (iuxta morem) capillum susciperet. Qui eius cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regijs muneribus genitori remisit.* Hinc illa minimè ante hac vsurpata consuetudo, vt Francorum Regum liberi à Pontificibus Maximis ad sacrum Baptismatis lauacrum

Studia inter Pont. & Franc. Reges fœderatos.

[a] *Paul. Diac. lib. 6. c. 53.*

crum in filiorum locum sumerentur. Stephanus III. ita sibi Pipini filium adsciuit; eodem ritu à Paulo I. vt adoptaretur filia, quam tum Pipinus susceperat, in Vrbem à patre mittitur. Misit & Carolus Magnus filium, quem Adrianus I. arrogauit. Vnde Pontifice Romano, quo *Compatre* vteretur, ille quidem nullo non tempore, nullo non in loco gloriabatur, hic verò idem aliquando de se nomen prædicauit[a] apud Orientis Imperatores. His ne vnquam studijs egerunt cum Senatu Romano Francorum Reges? Contrà verò, vide in illos fœdere, & amicitia coniunctos mutuam Pontificum caritatem. Nam ab hoc tempore (quod antea nunquam auditum est) Gallorum Reges[b] ECCLESIÆ ROMANÆ FILII ADOPTIVI allecti sunt, atque solemni eius ætatis ritu, quem vndecimo capite indicaui, ac modò proponam, sunt instituti. Claues adyti Vaticani nullis vnquam Christianis Principibus creditas illi à[c] Gregorio III. deinde ab alijs Pontificibus acceperunt.[d] *Ecclesia sanctæ Petronillæ* in Vaticano *pro laude, æternaque memoria nominis Pipini consecrata est* à Paulo I. Eaque causa fuit (quæ viros doctos hodie latet) cur eam Basilicam Francorum Reges tam sanctè coluerint, vt post longissimi temporis diuturnitatem Ludouicus XI. illam instaurari iusserit; Henricus verò IV. eiusdem ius, quod *Patronatus* appellant, à Clemente VIII. Pontifice sibi confirmandum

[a] *epist. Synod. ad Const. & Iren.*

[b] *Steph. iij. epist. 2.*

[c] *in epist. ad Car. Mart.*

[d] *in epist. 51. Pauli I.*

dum curauerit. Bonum sanè factum, vt in Ara sanctæ Petronillæ, quæ nunc ex magnifico templo vna in Vaticano reliqua est, & Pipini æterna memoria vigeat, & Pontificum in Francorum Reges Defensores, atque Vrbis Præfectos, immortale studiorum vicissitudinis monumentum perduret. Neque verò, dum de sacramento quærimus, quod Pontificibus Maximis dici ab Imperatoribus consueuit, ab re quis esse putet quæ de Pipini, & Caroli Vrbis Patriciorum iuramento disputamus. Vnum enim idemq. fuit. Quemadmodum autem Romanorum Patricij, ac Cæsaris eadem fuit instituendorum ratio, Ecclesiæ scilicet Romanæ defensio; ita par fuit illorum iurandi forma, ac ritus idem. Imo, post Carolum Magnum, nemo suscepit Imperij fasces, nisi prius Ecclesiæ Romanæ *filius*, hoc est, *Defensor* idem sit declaratus. Habent id veteres libri Rituales. In vestibulo enim templi Vaticani antequam ad inaugurationis celebritatem Cæsar ingrediatur: *Quærit ab eo Domnus Papa ter, si vult habere pacem cum Ecclesia, eoque ter respondente Volo, Domnus Papa dicit, Et ego do tibi pacem sicut Christus dedit Discipulis suis; osculaturque frontem eius, ac mentum (rasus enim esse debet) & ambas genas, postremò os. Tunc surgens Domnus Papa ter quærit ab eo si vult esse* FILIVS ECCLESIÆ. *quo ter respondente, Volo; Domnus Papa dicit, & ego te recipio, vt* FILIVM ECCLESIÆ. *& mittit eum sub manto, & ille*

Patricij Rom. & Imperatoris idē iuramentum.

Cerem. apud Cenc. Cam.

oſculatur pectus Domni Papæ. Hæc illa eſt Patricij Romanorum ſolemnis, ac celebris adoptatio, quam toties Pipino, & Carolo Magno Stephanus III. ob oculos proponit; quam ſibi Carolus ab Adriano I. conceſſam affirmat; quam idem à Leone III. vt vndecimo capite dixi, ſummis votis, ſummoque opere flagitat; quam denique eccleſiaſtico more vides expreſſam ex ea Laicorum Principum conſuetudine, quam ex Theodorici formula ibidem attulimus. Antequam verò Patricius Romanorum hunc in modum à Pontifice adoptaretur filius, vel Auguſtus crearetur, iurare conceptis, conſultiſque iam inde à Carolo Magno verbis conſueuit. Quod Iuramentum non veteres modò, ſed recentiores etiam Rituales libri præſcribunt. Eius autem ſententiam, verba, ac penè formulam Carolus in frequentiſsimo Francorum Conuentu hæredibus ſuis, ac in Imperio ſucceſſoribus teſtamento legauit:

a Teſtamento Car. *Super omnia autem iubemus, vt ipſi tres Fratres curam, & Defenſionem ſancti Papæ ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab auo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt, vt eum cum omni adiutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & iuſtitiam ſuam, quantum ad ipſos, pertinet, & ratio poſtulat, habere faciant.* Eat nunc Melchior Goldaſtus, & modò Caroli Magni ſacramentum reuocet in dubium; modò *vnum* dicat *eſſe iuſiurandum, quod Pontifici Romano, & Præpoſito, & Capitulo Eccleſiæ Aquiſ-*

Aquisgranensis præstari ab Imperatoribus solet in vnctione, & coronatione Aquisgranensi. Scilicet Præpositus ille Carolum Magnum, vel reliquos Cæsares filios adoptiuos adsciuit, appellauitque, Aquisgrani Patricios constituit, suis Prouincijs præfecit, dum sibi ab hostibus periculum fuit, ad suppetias sibi ferendas acciuit, cunctantibus, vel minatus est, vel sacris interdixit, vel datæ religionis reos declarauit. Venio ad vltimum genus causarum, quæ, vt initio proposui, translationem Imperij sunt consecutæ. His Carolus eò luculentiùs Romani Pontificis autoritatem ostendit, quò successores ipse suos inde petere docuit Imperium. Eas enim tabulas, quibus tripartitum Imperium filijs relinquebat, à Leone III. confirmandas eum curasse litteris proditum est. *Conuentum* (inquit[a] Autor Annalium Francorum) *habuit Imperator cum primoribus, & optimatibus Francorum de pace constituenda, & obseruanda inter filios suos, & diuisione facienda in tres partes, vt sciret vnusquisque illorum, quam partem regere deberet, si, patre mortuo, superstitem esse contingeret. De hac partitione, & Testamentum factum, & iureiurando ab optimatibus Francorum confirmatum, & Constitutiones, pacis conseruandæ causa, factæ: atque hæc omnia litteris mandata sunt, & Leoni Papæ, vt ipse sua manu subscriberet per Eginhartum missa. Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit.* Hoc testamentum variè nostros, ac aduersarios interpretari

III. locus argumentorum ex ijs, quæ transl. sût consecuta.

[a] *ad ann.* 806.

pretari video. Eſt qui[a] exiſtimet *de Imperio nullam in eo mentionem haberi*, ne fortaſsis hæreditario iure ad poſteros peruenisſe videatur, vel à Carolo conſtitutum de Imperij ſucceſsione fuiſſe, quæ à Pontificis arbitrio penderet. At ſtatim initio tabularum: [b] *Poſt noſtrum*, Carolus ait, *ab hac mortalitate diſceſſum huius à Deo conſeruandi Regni, & Imperij noſtri hæredes relinquere, ſi ſic diuina maieſtas annuerit, optamus.* & mox: *Diuiſiones verò à Deo conſecrati, & conſeruandi Imperij, vel Regni noſtri tales facere placuit, vt Aquitaniam, &c.* Nam vt olim Conſtantinus Magnus tribus liberis Conſtantio, Conſtanti, atque Conſtantino Imperium certa partitione legauit; ita Carolum, Pipinum, & Ludouicum filios Carolus Magnus Imperij ſucceſſores nominauit; prioribus tamen illis duobus extinctis, *Ludouicum, qui ſolus* (vt [c] Eginhartus ait) *filiorum Hildegardis ſupererat, congregatis Francorum primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni, & Imperialis nominis hæredem conſtituit.* Qua verò id autoritate fecit? ea, quam per Eginhartum Legatum, (quod Autor illorum temporum æqualis narrat) à Leone Pontifice Maximo impetrarat. Hic Iunius atque Mornæus illas Caroli teſtamenti tabulas ad Romanum Pontificem ideo miſſas contendunt, vt à Leone III. tanquam à teſte ſolummodò conſignarentur. Scilicet erat bonorum hominum, fideque dignorum ea tum in Gallijs penuria, vt Carolo

trans

[a] Baron. ad ann. 806.

[b] in teſt. Car. M.

[c] in vit. Car. M.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 133, [176] - 158
PUBLIC DOMAIN

trans Alpes locuples vnus testis quærendus fuerit. At disertè Autor: *Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit.* ASSENSVS Pontificis Maximi requirebatur, & MANVS; vt Caroli Magni Testamentum, in quo successores Imperij designabantur, pondus, atque momentum haberet. Verùm si de Caroli facto, atque sententia in re tam clara inter istos ambigitur; domi est interpres Caroli filius Ludouicus, qui facto suo parentis factum declarauit: imo in Imperij noua successione seruauit, quod à patre vnicè obseruandum acceperat; nimirùm ne inconsulto Romano Pontifice de Imperio quicquam statueretur. Is etenim Ludouicus parentis exemplo tribus liberis vniuersam suorum partitur Regnorum ditionem, ex quibus duos creauit Reges, Lotharium tantummodo Augustum appellauit. *Conuentum*, inquit[a] Autor, *Aquisgrani habuit, in quo filium suum primogenitum Lotharium coronauit, & nominis, atque imperij sui socium sibi constituit: cæteros Reges appellatos vnum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfecit.* Sed nihil hic, inquit, de illo Pontificis *assensu*, vel *manu*. Audi testem locupletissimum, Agobardum Archiepiscopum Lugdunensem, qui rem tam veram narrat, quàm in aures narrat Ludouici autoris, qui fecit:[b] *Cæteris filijs vestris designatis partes Regni vestri, sed vt vnum Regnum esset non tria, prætulistis eum illis, quem participem Nominis vestri fecistis; ac deinde gesta scribe-*

[a] *Annal. Fr. ann.* 817.

[b] *Agobardus Lugdunen. ad Ludouic. Imper. de diuis. Imp.*

scribere mandastis, scripta signare & roborare, & consortem Nominis vestri factum Romam misistis à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda. Probata verò, *firmataque* fuisse, eidem alibi repetit Agobardus. [a] *Si enim quod vestra voluntate, & potestate, cum consensu totius Imperij vestri factum est, & postea in Apostolica Sede roboratum, hoc vult* Gregorius IV. *in pristinum reducere statum, satis rationabilis, & oportunus est eius aduentus*. Nimirum ait Agobardus, nullo iure, ob exorta tum domi dissidia, à Ludouico Lotharium filium Imperio priuandum, qui Pontificis calculo Imperium obtineret. Sed hæc plus etiam satis ad rem præsentem. Illud vnum relinquitur, vt de Imperij transferendi causis promissum faciamus.

[a] *Idem ad eund. de Compar. vtriusq. Regim.*

AN HVIVS TABVLÆ INSCRIPTIONES translati Imperij causas indicent. Cap. XV.

QVI restitutionem Leonis Pontificis Maximi, & Caroli Imperatoris renunciationem vna eademque in tabula coniunctas videt, eumque titulum legit:

SCSSIMVS. D. N. LEO. PAPA
D. N. CARVLO. REGI

haud temerè sibi persuadeat gratiæ Carolo referendæ causa, eundem à Leone Pontifice auctum fuisse Imperij dignitate. Certè id [a] Theophanes disertis

[a] Causa à Theophane allata. *in Chron.*

disertis verbis asseuerauit: ὁ δὲ τὸν Κάρουλον ἀμειβόμενος ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα ῥωμαίων *Leo vicem Carolo recompensans coronauit eum in Imperatorem Romanorum.* Quod, qui Pontificum facta non æquo expendunt animo, non tam iustam Imperij transportandi causam fuisse dicent, vt non priuatum potiùs officium, quàm publicum bonum resipere ea videatur. Verùm neminem negaturum arbitror, ei, qui Reipublicæ patrem è supremo periculo ereptum, in integrum restituerit, summos in Republica honores deberi, atque adeò augustissimum Imperij gradum, si dum Imperij moderator idoneus quæritur, ipse virtute, animi magnitudine, pietate denique Imperio se dignum ostendat. Id Theophanes approbauit, & concessæ Carolo dignitatis occasionem existimauit conuenientissimam. Verùm transferendi causas Imperij tres potissimùm habuit Leo, habuerunt eius prædecessores inde à Gregorio II. Quòd Orientis Imperatores pessum religionem dedissent; quòd Pontificum Maximorum neglecta defensione, hostes euasissent; quòd iura Ecclesiæ Romanæ per scelus occupassent. Iam singula videamus; quæ superiore capite solùm innuimus. Religionis crimen[a] Ludouicus Augustus Basilio Macedoni exprobrauit. *Sicut nos Christiani*, inquit, *per fidem Christi Abrahæ semen existimus, & Iudæi per perfidiam Abrahæ filij esse desierunt; ita quoque nos propter orthodoxiam, idest, bonam opinio-*

Causæ, quas habuerunt Pontifices Rom.

[a] *in epist. ad eundē.*

I. causa transferēdi Imperij.

